DE PRINCIPIIS Juris Naturalis ENCHIRIDION.

Auctore

GUILIELMO GROTIO JC^to Delphensi.

Editio secunda priori Correctior & Auctior quoad summaria articulorum cujusvis Capitis. H I.

CANTABRIGIÆ,
Ex Officina Joann. Hayes. Celeberrimæ Academiæ Typographi. 1673.
Impensis Joann. Creed, Bibliopolæ.

Illustrissimo ac Amplissimo Viro Domino

FLORENTIO CANT

Urbis Goudæ Consuli, *ad Conventum Celsorum ac Præpotentium D. D. Ordinum Generalium Fœderati Belgii nuperrime, nunc in Consessu Nobilissimorum & Potentium Consiliariorum Hollandiæ Ordinum, Delegato.*

CUm Patruus noster librum de JURE BELLI ET PACIS, opus sic satis notum, in lucem antehac ediderit, Parénsq; noster (qui quod naturæ dotibus Fratri suo prælucere non potuit, id materiâ scribendi tentare volens) fœtum hunc posthumum tanquam introductionem ad prædictum Fratris sui librum reliquerit; & cum nulli potius illum quam illustrissimo nomini Tuo, *Amplissime* CANTI, consecraremus, utpote tam bene de Familiâ nostrâ merito, atque etiamnum indies merenti, quique ejus defectum, præmaturâ nimirum Authoris morte destituti, favore suo solito libentius suppleret, quod non amplior

ornatiórque in lucem prodeat, Tibi quâ par est reverentiâ quam humillime offerre consultum duximus, obnixe rogantes munusculum hoc accipere nè dedigneris. Si materiam spectes, habes quod Tibi applices, nam si unquam tria illa notissima Juris præcepta ab uno eodémque viro observata inveniri queant, si non in Te, vix in ullo alio quis reperiat. Honestè enim Tibi & proximo vivis: neminem non solum privatus lædis, sed publicâ armatus autoritate, facinorosos & hostes, aliásque Reipublicæ pestes, suppliciorum metu ac armorum vi, nè aliis noceant, terres ac coerces, præmiísque, de publico benemeritos, ornas. Unicuique suum tribuis, dum quid supremo humanarum rerum Arbitro debeatur, quidque summis in terrâ Potestatibus dandum sit, exemplo Tuo alios edoces; diviti ac egeno justus & idem semper judex. Quemadmodum verò juris naturalis est immutabile esse, hoc Tibi etiam à naturâ est proprium: cum enim utroque fungaris munere in quo vel ipsa Imperii Majestas residet, inconcussam mediis in fluctibus, atque

hoc

hoc periculosissimo rerum statu, clavum Civitatis Tuæ ac Reipublicæ nostræ gubernans, Constantiam servas. Fortunatam Rempublicam, Fortunatam etiam Civitatem, quæ hoc scipione innituntur, quibusque consilio Tuo prodes. Beatum Te qui per otium, cujus parvam Tibi esse copiam facilè quivis credat, hæc omnia præstas. Nos denique felices, modo hoc opusculum, si non Te Consule scriptum, sub Tui saltem Consulatus auspiciis in lucem exire patiaris. Vive diu, Vir Eximie, rege ut facis indefessus, familiámque nostram amare perge, quod vovemus ac flagitamus

Illustrissimæ Amplitudinis Tuæ

Humillimi & obsequentissimi

Dab. Hagæ-Com. Kal. Apr. 1667.

JOANNES & JACOBUS GROTII.

In

In ENCHIRIDION
de Principiis Juris Naturalis;

Viri longe clarissimi

D. GUILIELMI GROTII JC^ti.

Æterna Lex, quæ Numinis supremi,
Cum fabricaret nos, fuisti norma:
Miranda Lex, quam filiam natura,
Sed ante matrem ducimus creatam:
Quæ nasceris subinde, moreris nunquam:
Quæ cogis, & distas nihil coacto:
Terréque, non à territo diversa;
Lætare Diva, splendidámque vestem,
Non diffluentem fimbriis, aut limbis,
Sed elegantem, sed tibi decoram,
Quæ pulchra stringat membra, téque ostendat,
I sume. GROTIUS *paravit illam,*
Quid exilisti? hic par foret germano;
Si non minorem HUGONE *se professus,*
HUGONE, *cujus nomen astra pulsat,*
Cujúsque lumen omne lumen fuscat,
Cessisset ultro laureâ communi.
At Diva, tu fac fama GROTIORUM,
Quodque orbe toto nomen enitescit,
Nè desinat per ora laude ferri,
Natura dum, legésque erunt naturæ.

REINHOLDUS BLOMIUS.

De Principiis Juris Naturalis.

Caput I.

Quid jus? quid natura? quid jus naturale?

I. DE principijs juris Naturalis acturis, neceſſaria imprimis eſt terminorum expoſitio; quoniam enim à notioribus ad ignota progrediendum eſt ei, qui rem aliquam explicare vult, conſequens eſt, ut in ipſo quaſi veſtibulo ſtatim declarentur ea voces, quæ ſubjectum de quo tractatus inſtituitur, ſignificent; ut iis bene intellectis tota procedat diſputatio. I. *Terminorum expoſitio cur hic imprimis neceſſaria*

II. Videndum igitur ante omnia quid ſit jus, deinde quid ſit natura, ut ita tandem quid ſit jus naturale, eliciatur: & de primo quidem rectè Ulpianus *juri operam daturum prius noſſe oportere, unde nomen juris deſcendat* [a], id nos à voce *juſſum* (quæ à *jubendo* venit) derivari credimus, poſtrema ſyllaba per apocopen ſubtracta; nam quæ nos *jura* vocamus, ea antiqui *juſta* ſive *juſſa* appellare ſolent [b], atque ita jus accipiemus pro omni eo quod lege præcipitur; niſi quis malit *jus* à *juſto* derivare, ut comprehendat illud quod juſtum & æquum eſt, ſicut apud Græcos vox II. *Nomen juris unde derivetur.*

δίκαιον

a *L. 1. de juſt. & jure.* b *Feſtus.*

Regior & *jus* & *justum* denotat, à quo non abludit Ulpiani sententia [c], qui *jus* à *justitia* appellati asserit, *justitiam* videlicet pro *justo*, abstractum pro concreto, ponens.

III. *Juris vocem tribus præcipuè modis accipi.*

III. Vocem juris variis modis accipi testes sunt jurisconsulti *Paulus* & *Martianus* [d], tres autem præcipui sunt. 1. Cum accipitur pro omni eo quod justum est. 2. Cum accipitur pro qualitate morali personæ competente, ad aliquid justè habendum vel agendum. 3. Quando idem valet quod lex, ut sit regula actuum moralium, obligans ad id quod rectum est [e].

IV. *Quomodo hic accipiatur.*

IV. Nos hic vocem juris primo aut etiam tertio modo sumimus; sic de primo modo loquitur Jurisconsultus Paulus, *cum id quod semper æquum & bonum est jus dicitur, ut est jus naturale* [f], alter vero frequentissimus est, hinc *divina lex fas est, lex humana jus est* [g]; item, *jure fieri dicitur quod consentaneo legibus more fit* [h].

V. *Naturæ vox quot modis accipiatur & quo modo hic.*

V. Naturæ etiam vox diversas habet significationes, aliquando enim sumitur pro affectibus homini a natura insitis, ut est instinctus procreandæ sobolis, qui sine vitio est, aliquando etiam pro affectibus vitiosis, ut cum dicitur, *naturalem esse hominum ad dissentiendum facilitatem* [i], itemque, *naturale esse vitium negligi quod communiter possidetur* [k]: aliquando natura pro prima causa, atque adeo pro ipso Deo accipitur. *Quid aliud*

c d. L. 1. d L. pen. & ult. ff. de just. & jure. e H. Grot. de jure belli & pacis lib. 1. c. 1. Sect. 3, 4. & 9. f dicta leg. pen. g Isidor. lib. 5. etymol. h L. 3. ff. de just. & jur. i L. item si unus 17. Sect. principaliter 6. ff. de res. arbitr. k L. 2. Cod. quando & quibus quarta pars debet.

liud eſt natura quam Deus? nihil natura ſine Deo eſt, nec Deus ſine natura[l], aliquando pro cauſa ſecunda & Deo ſubjecta, ſic Poëta, *hanc Deus & melior litem natura diremit*[m], item cum dicitur, *rerum naturam fructus omnes hominis cauſa comparaſſe*[n], aliquando pro naturali illa *Dei operatione, quæ mentibus noſtris inſedit, cujus ipſe Deus auctor eſt*[o], & hæc quidem acceptio huic noſtræ materiæ quam maximè accommodata eſt.

VI. Quibus ità præmiſſis facile apparet quid ſit jus naturæ ſive naturale, de quo omnis noſtra inſtituitur diſceptatio; *eſt enim illud jus quod cum ipſo genere humano rerum ſummæ natura prodidit*[p], & alibi, *jus quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, & quod omni humano generi commune eſt*[q], *& quod apud omnes peræque cuſtoditur*[r], *quod ſemper æquum ac bonum eſt*[s], aut ut alii loqui amant, *divina ratio toti mundo partibuſque ejus inſerta*[t], cui non male concinit illud VI. *Quid jus naturale, ſit.*

A Dei ratione ratio naſcitur mortalium[u]. VII.

VII. Sed jam nova ſe offert quæſtio, quæ antequam ulterius progrediamur, diſcutienda eſt, an nimirum detur aliquod jus naturæ fruſtra enim de qualitate & aliis hujus juris accidentibus quæritur, ſi nondum plenè conſtet illud revera exiſtere: Sed cum hanc ſpartam excoluerunt ante nos alii[x], neceſſitatem ejus juris uno atque altero argumento probaſſe ſufficiet. Quorum primum eſt, quod VII. *Ejuſmodi jus naturale dari probatur.*

l *Seneca in lib. de benefic.* m *Ovid. Metamorph. lib.* 1. n *Sect. in pecudum inſt. de rer. diviſ.* o *Auguſt. lib.* 3. *conf.* p *Sect. ſingulorum inſt. de rer. diviſ.* q *Sect.* 2. *& Sect.* 5. *inſt. de juſt. & jure.* r *L.* 9. *ff. de juſt. & jure.* s *d. l. pen.* t *Auguſt. loco præcitato.* u *Epicharmus.* x *H. Grot. de jure belli & pacis in Prolegom.*

rationalis creatura à Deo ità est condita, ut se ad bonum vel ad malum possit convertere, cum autem Deus bonum omne diligat, omne vero malum oderit, necesse fuit ut toti humano generi legem daret aliquam, qua bonum quod Deo placet cognoscere, malum vero quod ei displicet, ab eo discernere possit, & ita ad bonum quidem dirigatur, à malo verò arceatur, quod præstat lex naturæ. Alterum verò, quod humana creatura ad societatem est creata, & quidem ordinatam ac duraturam, cum igitur Deus omnis boni ordinis auctor & fautor sit, sine quo nulla societas diu potest consistere, consequens est, ut hominibus & imperandi & parendi & in commune consulendi leges aliquæ fuerint præscribendæ, quod etiam legi naturali debemus.

VIII. *Juris humani notitia quousque extendat.*

VIII. Unde & notitia hujus juris ad omnes se gentes extendit, *est enim vera ratio naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium, jubendo, vetando* [y], *&c.* Hinc & alibi Cicero vocat legem, *neque hominum ingeniis excogitatum, neque scitum aliquod populorum, sed æternum quiddam quod totum mundum regit, imperandi prohibendique sapientia* [z]: sunt enim ea quæ hæc lex dictat.

Haud ambagibus implicita, sed quæ regulis æqui ac boni
Suffulta, rudibus pariter & doctis patent [a].

Cum igitur Ethnicis & Oratoribus & Poëtis jus hoc naturæ sit cognitum, nemo certè rationem suam in consilium adhibens id negaverit,

y *Lactant. ex Cic. de vero cultu cap.* 8. z *Cic. de leg. lib.* 2.
a *Eurip. in Phœniss.*

gaverit, præſertim cum nobis Chriſtianis Apoſtolus Paulus apertiſſimè id ob oculos ponat, de ipſis Ethnicis ſic loquens. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt: ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi lex ſunt. Et poſtea, oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum* [b], Quem locum exponens Auguſtinus ita loquitur: *nullam animam eſſe quæ ratiocinari poſſit, in cujus conſcientia non loquatur Deus. Quis enim legem naturalem in cordibus hominum ſcribit niſi Deus* [c].

IX. Subnectetur huic quæſtioni, alia non minus utilis, quo pacto dijudicari poſſit an aliquid ſit juris naturalis nec ne? quod ego ſto duobus modis fieri poſſe dico, primo ex convenientia aut diſconvenientia cum natura rationali & ſociali: & ſecundò, *ex eo quod aliquid apud omnes Gentes, aut moratiores certè, ita ſit juris eſſe creditur* [d]. Neque utriuſque ratio longe petenda eſt, cum enim jus naturale ſit dictamen rectæ rationis, ſequitur ut id omnino cum recta ratione convenire debeat, quod igitur reperitur ab ea diſcrepans, id omnino a jure alienum habebitur: cumque moratiores gentes ſe quam maximè juri naturali conforment, quicquid illæ in commune ſervant, ejuſdem juris eſſe valde probabile eſt. *Nam omni in re conſenſus gentium, lex quædam naturæ putanda eſt* [e]. Videantur & alia loca in hanc ſententiam allegata, *dicto §. 12. de jure belli & pacis.*

IX. *Quo pacto dijudicari poſſit an aliquid ſit juris naturalis nec ne?*

b Epiſt. *ad Rom. cap.* 2. c *Aug. lib.* 2. *de ſerm. Domini in monte.* d *H. Grot. de jure belli ac pacis dicto lib.* 1. *cap.* 1. *Sect.* 12. e *Cicer.*

X. *Descriptio juris naturæ duplex.*

X. Reſtat nunc ut aliquam juris naturæ definitionem vel certè deſcriptionem afferamus, quæ hæc eſt, *Jus naturale eſt dictatum rectæ rationis indicans, actui alicui, ex ejus convenientia aut diſconvenientia cum ipſa natura rationali, ineſſe moralem turpitudinem, aut neceſſitatem moralem, ac conſequenter ab Auctore naturæ Deo talem actum aut vetari aut præcipi* [f]. Ego legem naturæ ſic definio, quod ſit *Lex quam Deus, ut naturæ auctor, omnium mortalium cordibus inſevit, ad diſcernendum honeſtum à turpi, illud jubens, hoc vetans.*

XI. *Definitionis datæ explicatio, usque ad art.* xvii. *quid lex & quotuplex?*

XI. Quæ definitio ut paulò latius explicetur, ſciendum, cum *legem* dicimus, ſpeciem aliquam legis declarari, atque ità huic latiori extium competere definitionem, quæ hæc eſt, *ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Legis ità generaliter ſumptæ, diviſio prima eſt, quod omnis lex vel ſit naturalis vel voluntaria; ad primam ſpectant pertinet lex naturæ de qua hic agimus, ad alteram omnes aliæ leges, ſive divinæ, ſive humanæ, ab hac contradiſtinctæ, & imprimis, *civilis æquitas, vel ſcriptis legibus ſancita, vel inſtitutis aut moribus recepta* [g].

XII. *Cauſa efficiens legis naturalis.*

XII. Sequitur in definitione legis, cauſa efficiens, nempe *Deus, ut naturæ auctor*; de hac enim loqui rectè putatur hic locus, *Quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine* [h]: nec longè hinc abit Cicero, *Ex qua illa lex quam Dii humano generi dederunt rectè laudata eſt* [i], ubi & eam

f *H. Grot. dicto tract. cap.* 1. *Sect.* 10. g *Saluſt. in Catalin.* h *Pſalmo IV.* i *Cicero de legib. lib.* 2.

cam vocat, *æqualem illius cœlum atque terras tuentis & regentis Dei.* Hinc illud veriſſimum effatum. *Quicunque legi naturali obviat, Dei voluntatem non ſervat* [k].

XIII. Cum *legem* hanc *omnium mortalium cordibus inſitam* dicimus, tunc modum quo ea lex promulgata eſt indicamus, nempe per impreſſionem naturalem in mente creaturæ rationalis; hinc Apoſtolus, *oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis* [l]. Egregiè hæc interpretatur vetus Eccleſiæ Doctor his verbis, *Ea lex non ſcribitur, ſed innaſcitur; non percipitur lectione, ſed proſtuo naturæ ſonte in ſingulis exprimitur* [m]. Rectè additur omnium mortalium quia nulla eſt gens tam barbara tam effera, quæ hanc legem ignoret. *Si non habent legem ſcriptam, habent tamen legem naturalem* [n]. XIII. *Modus promulgationis.*

XIV. Quæ ſubnectuntur verba, *ad diſcernendum honeſtum à turpi*, veram hujus legis naturam accuratè delineant: Eſt enim lex naturæ in hoc data ut turpia fugiamus, honeſta ſectemur; *per hanc quilibet intelligit, & conſcius eſt, quid ſit bonum, quid malum* [o]. Nam ut alius loquitur, *legem Dei habet ſibi inditam impreſſamque & inſitam, qua bonum à malis interno lumine dijudicamus* [p]. XIV. *Finis legis naturalis.*

XV. Nec tamen ſufficit notitia boni & mali, niſi præterea *illud jubeat hoc vetet*, quæ verba definitionem claudunt. *Eſt enim recta ratio mentis ſapientis, ad jubendum & deterrendum idonea* [q], & planius, *eſt ratio ſumma inſita in natura, quæ jubet ea quæ facienda ſunt, prohibetq; contraria* [r]. XV. *Effectus.*

B 4 XVI. Hinc

k *Anſelm.* l *Epiſt. ad Rom. c.* 2. m *Ambroſ. ſupra d. c.* 2. *ad Rom.* n *Gloſſa* o *d. Gloſſa c.* 2. p *Chryſoſtom.* q *Cic. de leg. lib.* 2. r Idem *Cicero.*

XVI. *Quædam mala quia prohibita quædam vero prohibita, quia mala.*

XVI. Hinc provenit tritum illud axioma, quod quædam mala sunt quia prohibita, quædam prohibita quia mala, quorum hoc ad jus naturæ, illud ad alias leges pertinet. Et hoc illud est unde dictamen naturæ, legis sibi & nomen & vim vindicare possit; est enim aliquid amplius in lege naturæ quam convenientia cum natura rationali; nimirum quod à Deo etiam præcipiantur ea quæ honesta sunt, & quæ turpia sunt vetentur: in quo propriè legis virtus consistit. *Est enim lex cui omnes obtemperare convenit*, quam & rectè Chrysippus vocavit, *præceptricem quidem faciendorum, prohibitricem autem non faciendorum*[r]. Quod in lege naturæ eatenus verum est, ut per eam omnes virtutum actus, ut boni & proinde honesti, jubeantur; omnes vero vitiorum actus, ut mali & proinde turpes, prohibeantur.

XVII. *Juris naturalis synonima.*

XVII. Denique notandum, jus naturale, de quo hic agimus, etiam aliis vocabulis designari, & præcipuè *æquitatis naturalis*, item *æquitatis*; hinc Prætor *naturalem æquitatem sequi* dicitur[s], & alibi, *ubi æquitas evidens posçit subveniendum esse*[u], ac iterum. *Judicem æquitatem ante oculos habere debere*[x], idque & vocibus *humanitatis*[y], *& benignitatis*[z], sæpissimè exponitur.

XVIII. *Contra bonos mores, quid?*

XVIII. Quod vero juri naturali repugnat; *id etiam contra bonos mores esse Jurisconsulti pronunciant*[a], hinc elegans illud effatum, *quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & (ut generaliter*

s *L. 2. ff. de legib.* t *L. ff. De minor.* u *L. 17. ff. de in integr. rest.* x *L. 4. ff. de eo quod cert. loc.* y *L. 1. Sect. 6. ad Sen. Tert.* z *L. 8. Cod. Cic. de legib.* a *L. 25. ff. de legib.*

ter dicam) *contra bonos mores facta, nec facere nos posse credendum est* [b].

CAPUT II.

Juris naturalis variæ acceptiones & divisiones.

I. VOcem *juris naturalis* non eodem semper modo sumi facilè intelliget, qui quædam Jurisconsultorum scripta, aliósque bonos auctores evolverit; nos præter genuinum sensum, de quo priore Capite egimus, etiam alias minus proprias acceptiones indicabimus. Et imprimis se offert, qua omne id quod juri naturali non repugnat, juris esse naturalis dicitur, eo modo quem alii, *reductivum* [c]: alii *negativum* vocant: sic dicimus aliquem *ad remunerandum naturaliter obligari* [d], quod tamen proprie loquendo, se ità non habet; nec enim vera naturalis obligatio inde oritur: sic etiam *liberis communi voto naturæ parentum hæreditatem deberi* [e], Papinianus asserit, cùm tamen hic nullum, quoad hæreditatem, sit debitum naturale. I. *Varii modi quibus vox juris naturalis usurpatur. Primus hic ostenditur.*

II. Est & alius modus quo vox illa abusivè ponitur, pro eo quod quidem revera non est debitum jure naturali, sed tamen ratio honestum II. *Secundus modus.*

b *L. Filium* 15. *ff. de cond. inst.* c *H. Grot. de jure belli lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 9. d *L. sed si* 25. *Sect. consuluit* 11. *ff. de petit. hæred.* e *L. scripto.* 7. *ff. si tab. test. nullæ exstabunt unde Liberi.*

neſtum judicat, aut melius eo quod opponitur [f], idque præſertim locum habet cum de duabus propoſitionibus inter ſe comparatis, quæritur utra verior, aut melior aut benignior ſit; tunc enim ea, cui ratio aut æquitas magis favet, juris naturalis eſſe dicitur: quemadmodum etiam duobus abſurdis propoſitis, quod minus eſt abſurdum, id rationem æquitatis habet [g].

III. *Tertius modus.*

III. Aliquando etiam admodum Κατ' ἐξοχήν naturale quid eſſe pronuntiatur, quod plerumque fieri ſolet [h], & jure gentium impune fit [i], ut in hoc exemplo, *in pretio emptionis & venditionis licet naturaliter, contrahentibus ſe decipere* [k]. Item, *naturaliter conceſſum eſt invicem ſe circumſcribere* [l]. Cum enim omnis deceptio & circumſcriptio in vitium ſonet, tantum abeſt ut ea naturaliter liceat, ut potius prohibita eſſe videatur. Quippe *omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita* dolus malus eſt, qui jure naturali prohibetur [m], *nè alicui malitia ſua ſit lucroſa, vel alii ſimplicitas damnoſa* [n]. Sic & alibi dicitur, *jus noſtrum non patitur in paganis eundem & teſtato & inteſtato deceſſiſſe*, quod juris civilis Romani eſt, & pro ratione additur, *earumque rerum naturaliter inter ſe pugna eſt teſtatus & inteſtatus* [o].

Quæ tamen ratio non eſt vera; naturalis enim ratio neutiquam prohibet, nè quis ex parte

[f] *H. Grot. dicto loco.* [g] *L. itaque Sect. 1. ff. ad leg. aquil.* [h] *H. Grot de jure bell. lib. 2. cap. 12. Sect. 26.* [i] *Gonſoſc. ad L. 22. ff. loc.* [k] *L. in cauſæ 16. Sect. 4. ff. de minor. 25. ann.* [l] *L. item ſi 22. ff. loc.* [m] *L. 1. Sect. 2. ff. de dol. mal.* [n] *d. l. 1. in prine.* [o] *L. jus noſtrum ff. de reg. jur.*

parte teſtatus, ex parte inteſtatus obeat, ſed id ex ſola juris Romani ſubtilitate pendet [p].

IV. Rurſum aliquid juris eſſe naturæ eſſe dicitur, non quidem ἁπλῶς, ſed ut ſcholæ loqui amant, *ſecundum quid*, id eſt pro certo rerum ſtatu. Sic nuditas homini fuit naturalis, nimirum in ſtatu innocentiæ: Communio omnium bonorum fuit naturalis ante introductam diviſionem, libertas ante cognitam ſervitutem; hinc illud, *quod ad jus naturale attinet, omnes homines æquales ſunt*; hæc enim naturalia ſunt non ſimpliciter, ſed donec aliter conſtitutum non ſit [q], atq; adeo mutationi ſubjecta ſunt, & mutata conſtat ex adductis exemplis. IV. *Quartus modus.*

V. Nec longe hinc abit quod quædam naturalia eſſe dicantur, non quidem abſolutè, ſed ex certa hypotheſi, intervenientе nimirum actu aliquo humano [r], ſic poſt introductam ab hominibus rerum diviſionem, furtum natura turpe eſſe judicatur, ideóque etiam lege naturali prohibitum eſſe dicitur [s], ſic poſt inita ab hominibus pacta, & conventiones, jus naturæ ea ſervanda dictat [t]. V. *Quintus modus.*

VI. His ita præmiſſis, ad præcipuas juris naturalis partitiones accedamus, quarum prima ſit, quod in toto & omnibus ſuis partibus habet regulas & leges. *Regulas* voco communes notiones à natura mentibus nostris inditas, exempli gratia, *virtutes omnes eſſe bonas, vitia omnia eſſe turpia. Leges* verò VI. *Juris naturalis partitiones, Prima.*

quæ

p *H. Grot. d. cap.* 12. *Sect.* 26. q *H. Grot. d. lib.* 2. *cap.* 8. *Sect.* 5. r *H. Grot.* | *dicto lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 9. s *L.* 1. *Sect.* 3. *ff. de furt.* t *L.* 1. *ff. de pactis.*

quæ nobis præscribunt quid faciendum vel non faciendum sit, nimirum, *bonum esse appetendum, vitium vero fugiendum*, sive ut regius vates loquitur, *declina à malo, & fac bonum* [u]. Quæ partitio indè originem trahit, quod jus naturale partim illuminat mentem nostram & intellectum dirigit, juxta illud ejusdem, *Signatum super nos lumen vultus tui, Domine* [x], partim etiam præcipiendo & vetando nos obligat, quod proprium est legis; & prius quidem alii appellant *directivè*, posterius verò *coactivè*, *dispone*: quæ omnia ex infra dicendis clarius innotescent.

VII. *Secunda partitio juris naturalis.*

VII. Altera partitio in eo consistit, quod jus naturale habet quædam prima principia, quorum veritas primo intuitu, absque ulteriore indagatione patet; habet & quasdam conclusiones minus notas & ex primis istis principiis per ratiocinationem deductas [y]. Exemplum prioris esto: *quod tibi fieri vis, id alteri feceris*: item, *in pace & tranquillitate vivendum est*. Hæc principia tam clara sunt ut sine ullo discursu oculis se mentis insinuent, nec dubitare nos sinant ab ipsa natura dictata sint necne. Ex priore jam per Syllogismum probari potest, conclusio hæc, *depositum esse reddendum*, ex posteriore, *perturbatores Reipublicæ esse puniendos*: quæ conclusiones etsi de jure naturæ suam habeant veritatem, nam quod ex principiis purè naturalibus argumentando elicitur, hoc ipsum quoque juris naturalis esse censendum est. Rectè Poëta Tragicus [z], *quæ non patent col-*

u *Psal.* 37. v. 27. x *Psalm* 4. v. 7. y *Domin. Soto. de justit. & jure libr.* 1. *de jure nat. quæst.* 4. *artic.* 2. *Sect. ante quæstionis.* z *Euripid. Oenomao.*

colligimus ex his quæ patent, tamen eas minus per se notas esse, nemo cui cor sapit inficias ibit.

VIII. Est & alia partitio, qua jus naturale dividitur in concessivum & præceptivum, *concessivum* aut dominativum id appello, quo homini datur facultas ad aliquid juste habendum vel agendum: ut cum homini à natura confertur libertas, qua & uti potest & abuti; potest enim eam sartam tectam conservare, potest & eam alienare, séque ipsum in servitutem addicere [a]. *Præceptivum* verò voco illud, quo jubetur aliquid vel vetatur, qua de re Capite priore in definitione egimus, & porro etiam maxima ex parte acturi sumus. Ex antedictis constat quando concessivi juris meminimus, nos vocem juris non sumere in primo aut tertio sensu, sicut antea fecimus [b]; sed in secundo, pro facultate morali, quæ personæ competit [c]. Sic Jurisconsultus Gajus tradit, quod *adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere* [d], quod alibi sic effertur, *libera resistendi tribuitur facultas* [e]. Neque est quod quis putet, jus naturæ se hic tantum habere negativè, ut non repugnet, sicut eam vocem paulo antè exposuimus: quia hic aliquid amplius confert, unde rectè dicitur jure hoc evenire, *ut quod quisque ob tutelam corporis fecerit, jure fecisse existimetur* [f]. VIII. *Tertia partitio juris naturalis.*

IX. Et hoc plerumque sensu vocem *licet* usurpamus, cum dicimus *aliquid de jure naturali fieri*. IX. *Licere quid significet.*

a *Sect. servi Inst. de jure pers.* b *supra cap.* 1. *Sect.* 3. 4. c *H. Grot. d. libr.* 1. *cap.* 1. *Sect.* 4. d *L. itaque* 4. *ff. ad leg. aquil.* e *L.* 1. *C. quando liceat unicuique sine judice se vind. f ut vim* 3. *ff. de justit. & jure.*

turali, licere, intelligentes alicui facultatem eo jure dari, gerendi talem actum de quo agitur: quanquam & alia est hujus vocis acceptio cum *licere aliquid* dicitur, non quod salva pietate, & officiorum regulis fieri potest, sed *quod apud omnes homines pœnæ non subjacet* [g]: verum hæc significatio ad ea quæ sunt juris civilis magis pertinet, *ubi quædam sunt non laudabilia naturâ, sed jure concessa* [h]. Est item alia significatio, quando *licere* sumitur, *pro eo quod non impeditur, non si leges permittant, sed si leges non prohibeant* [i], id est si se negative tantum habeant; sed & ea à sensu nostro aliena est.

An aliquod jus naturæ sit permissivum.

X. Sed quoniam jam aliquoties *permissionis* facta est mentio, non inutile erit disquirere an aliquod jus naturæ sit permissivum? Et nos quidem, exactè loquendo, talem juris naturalis speciem dari negamus, eósque qui contrarium statuunt crassiori Minerva cum vulgo loqui existimamus.

Omnis enim Lex, & proinde etiam naturalis, efficaciam habere debet, eos, quibus fertur, obligandi ad observationem sui; constat autem a Lege permittente eum cui ea præscribitur nequaquam obligari, potest enim ex animi sui sententia, permissione uti vel non uti, atque ità propriè Lex dici nequit.

Tota ergo permissionis virtus extra eum est, & tantum circa reliquos homines operatur, eósque obligat ne actui permisso impedimentum ponant [k]: quod non est particulare in

g *H. Grot. de jure belli lib.* 3. *cap.* 4. *Sect.* 2. *& cap.* 10. *in pr.* h *Quintil. lib.* 3, *cap.* 8. i *L. nec non* 28. *Sect.* 3. *ff. ex quibus caus. major.* k *H. Grot. de jure belli dicto lib.* 1. *c.* 1. *Sect.* 9.

in permiſſione, ſed aliis etiam legibus præceptivis commune eſt, nemo enim poteſt alium impedire ne actus jure naturali præceptos exerceat. Denique permiſſio aut improprie vocatur ea, cui jus naturæ ſolummodo non refragatur; quæ à quibuſdam, *permiſſio facti* dicitur, & tunc revera naturalis dici non poteſt, cum de ea jus naturæ nihil actu diſponat: aut ſumitur pro ea quæ etiam moralem dat facultatem, unde & *permiſſio juris* vocatur, quia jus dat ad aliquid omnino licitè agendum[l], & eam nos ad jus naturæ conceſſivum referimus: eſt autem concedere plus aliquid quam permittere.

XI. Quod ad alterum prioris diviſionis membrum attinet, in quo de jure naturali *præceptivo* tractatur, voce nimirum iſta in latiſſima ſignificatione ſumpta, id iterum in duas partes diſpeſcitur, quarum prior eſt *jubens*, altera eſt *vetans*; ſive ut alii loquuntur, *præcepta naturæ alia ſunt affirmantia*, *alia negantia*: cujus diviſionis origo patet ex definitione ſupra allata[m]: & inter hæc quidem præcepta, magna quoad effectum eſt differentia, priora enim, non ità indiſtinctè, & citra omnem temporis, loci, & reliquarum circumſtantiarum conſiderationem, obligant, ut altera poſteriora, quorum vis ſe in omnem locum & tempus extendit, nunquam enim & nullibi, contra Leges vetantes facere licet. XI. *Jus naturæ præceptivum*, *quotuplex.*

XII. Sed quæri hîc poteſt annon ſit admittenda *partitio juris naturalis*; *an admittenda.* XII. *Quarta*

l *H. Grot. d. cap. 1. Sect. 17.* m *ſupra cap. 1. Sect. 15.*

mittenda divisio juris naturalis [n], in id quod animantibus omnibus commune est, & in id quod solos tangit homines. Nos, cum certum sit animantia bruta rationis non esse capacia, atque ita nec justitiæ, & si quando de justitia in animalibus mentio fit, id tantum ad umbram & vestigium pertinere; iis accedimus qui distinctionis hujus nullum agnoscunt usum [o].

Illud tamen verum fatemur, esse in naturali jure quædam principia, quæ homini non tantum cum animalibus, sed etiam cum aliis corporibus creatis sint communia: potest enim homo considerari simpliciter ut ens, potest considerari ut animal, potest considerari ut homo. Et cum ente quidem commune habet principium, quod omne ens conservationem sui, quatenus potest, appetit: cum animalibus, quod sit appetens propagationis. *Nam natura primum omnia animalia perfecta creavit, deinde perpetuam legem dedit, ut continuaretur procreatione successio* [p]. Et ad educationem prolis tenetur: *videmus enim cætera quoque animalia, feras etiam, istius juris peritia censeri* [q]. Et alia ejus generis, sed hoc ad naturam juris nihil confert, neque ejus varietatem aliquam inducit.

XIII. *Quinta ab objecto sumpta.*

XIII. Claudat itaque hoc caput divisio ab objecto sumpta, qua jus naturale versari dicitur circa res divinas vel humanas; neque mirum illud circa divina versari, cum rationi

n *Sect. 1. Instit. de jure nat. L. 8. ff. de justit. & jure.* o *H. Grot. d. lib. 1. cap. 1. Sect. 11. Selden. de jure nat. circa discipl. Hebr. lib. 1. cap. 4. & 5.* p *Macrob. Sat. lib. 7. cap. 16.* q *L. 1. Sect. 3. ff. de just. & jure.*

ni consonum sit, ut à Deo naturæ opifice, & juris naturalis conditore, mentibus hominum inserantur eæ notitiæ, quibus ipse ut auctor naturæ agnosci possit, eáque præcepta, quæ tali legislatore digna sint.

XIV. Rursum eæ res humanæ circa quas jus naturale occupatur, subdividuntur in publicas & privatas[1]; Cum publicas dico, non intelligo eas quæ ad statum particularis alicujus civitatis pertinent, quemadmodum ea vox in jure Romano accipi consuevit: sed eas res, quæ ad statum totius humani generis, & per consequentiam, omnium gentium, spectant. De privatis rebus non opus est hic in limine plura afferre, quia res satis nota est, & ex dicendis latius patebit. XIV. *Res publicæ quid?*

CAPUT III.

De causis Juris Naturalis ejúsque propriis.

I. POst definitionem & divisionem juris naturalis, prioribus Capitibus absolutas, operæ pretium videtur causas hujus juris, ex parte ibi delibatas, paulo latius explanare. I. *Causa efficiens juris naturalis*

Et *causam* quidem *efficientem* diximus esse *Deum*, *naturæ auctorem*, qui hanc legem toti humano generi præscripsit, hinc rectè vetus Ecclesiæ Doctor. *Cum naturam dico* *Deus.*

C *Deum*

[1] *Sect. fin. Instit. de justit. & jure.*

Deum dico: ipse enim est opifex naturæ [s], quod ipsum & auctor Gentilis vidit, scribens. *Non potest inveniri principium aliud & origo justitiæ, quam ab Jove & communi natura; indè enim initium duci debet, ubi de bonis malisque differendum est* [t]. Sed hæc tam perspicua sunt ut indicasse tantum sufficiat; plura siquis desideret legat eruditissimum commentarium de jure naturæ juxta disciplinam Hebræorum [u].

II. *Materia hujus juris, sunt Honesta & Turpia.*

II. Patet etiam ex superioribus, *materiam* hujus juris esse, *bona & mala* seu *honesta & turpia*, & illa quidem *appetenda*, hæc verò *fugienda*. Etsi enim lumen intellectus hominis agnatum satis doceat, omne bonum esse laudabile, omne verò malum vituperandum: placuit tamen naturæ auctori, huic naturali notitiæ etiam vinculum legis addere, ut eo magis quod honestum judicamus, sequi, quod verò turpe judicamus, fugere debeamus. Hæc igitur Lex id jubet quod naturæ rationali consentaneum atque ideo honestum est, vetat verò contrarium: quippe supponit in objecto honestatem ab una, turpitudinem verò ab altera parte. Et hoc illud est, quod & antea monuimus, per legem naturæ præcipi aliquid quia bonum, prohiberi verò quia malum: Hinc Poëta de natura loquens,

Dividit (hæc) *bona diversis, fugienda petendis* [x].

III. *Occurritur objectioni.*

III. Fortè hic objiciet aliquis divisionem hanc in *bona & mala*, non esse sufficientem, quia sunt etiam quædam *indifferentia*, quæ nostri

s *Chrysost. hom.* 1. *ad Cor.* X. 4. t *Chrysipp. lib.* 3. *de Diis.* u *Seldon. de jure nat. juxta discip. Hebr. lib.* 1. *cap.* 8. x *Horat.*

neutri membro propriè conveniunt, sed tertiam ferè classem constituunt, & tamen materiam quoque juri naturali suppeditant: nos verò huic objectioni jamdudum satisfactum putamus, cum diximus permissionem, quæ in indifferentibus locum habet, propriè loquendo, ad jus naturale non spectare[1]: sufficit enim ei, de bonis & malis, jubendo vel vetando, disponere, circa reliqua verò positivè nihil statuere, atque ità se tantum negativè habere. Quod si ponamus etiam actum aliquem juris naturalis intervenire, ut homini jus detur hoc vel illo modo operandi, tunc ille non erit revera actus aliquis legis naturalis, sed facultas jure naturali tributa, quam nos ad jus concessivum supra retulimus.

IV. Sunt tamen etiam quædam de quibus jus naturale disponit, & ità quidem ut ea & summopere sibi probari & placere ostendat, quæ tamen sub præceptum non cadunt. Sed sciendum ea tantum esse *consilia*, ideòque non quidem absolutè jubere[2], sed potius homines per ea, ad perfectionem majorem invitari, & quasi suadendo incitari. Quæ distinctio bene observanda est, ad distinguendum obligationem moralem ab exhortatione: & hoc illud est, quod per verbum, *decet* significari solet, cum id sensu minus quidem efficaci, magis tamen eximio usurpatur, ut cum dicimus, *decet ut omnes qui ejusdem sunt corporis, unius etiam sint voluntatis*[3].

IV. *Consilia quid maximè spectent.*

1 *supra cap.* 2. *Sect.* 10. 2 *H. Grot. de Jure libr.* 1. *cap. Sect.* 9. 3 *Clem. de excess prælat. cap.* 1. *inf.*

Forma juris naturalis, à modo promulgandi sumpta.

V. Veniamus nunc ad *formam*, quæ in eo consistit, quod jus naturæ *omnium mortalium cordibus insitum sit.* Cum *cordibus inseri*, dicimus, tunc verum & genuinum modum, quo hæc Lex fertur & promulgatur, indicamus. Neque enim ea, unquam ad sonitum tubæ, campanæ aut alterius instrumenti, per vocem hominum, ut in humanis Legibus; aut Angelorum, ut factum in divina Lege, unquam publicata; aut scripto, in lapidibus vel tabulis, consignata est, sed intus in cordibus nostris habitat. *Lex mentiri nescia, est recta ratio, quæ Lex non ab hoc aut illo mortali mortalis, non in chartis aut columnis exanimis exanima, sed corrumpi nescia, quippe ab immortali natura insculpta in immortali intellectu*, ait Judæus [b]: neque minus appositè Doctor Christianus. *Quarcs igitur Dei legem, habens communem istam in publico mundi, in naturalibus tabulis* [c]: idem alibi. *Ante legem Moysis scriptam in tabulis lapideis, legem fuisse contendo, quæ naturaliter intelligebatur* [d]. Cum *omnium mortalium* mentionem facimus, non tantum totum humanum genus in sua latitudine sumptum intelligimus, sed etiam singula ejus individua; nemo enim est cui ea Lex non innotescat: *hanc enim nobis non opinio, sed innata vis affert* [e]. Rectè idem, *in re consensio omnium gentium, jus naturæ, putanda est* [f]. Alius verò auctor hanc vocat *persuasionem quæ inest hominibus communiter*

b *Philo in lib. omnem virum bonum esse liberum.* c *Tertull. de coron. mil.* d *idem adversus Judæos.* e *Cic. lib. 2. de invent.* f *idem 1 Tuscul.*

ter omnibus, non minus Barbaris quam Græcis, neceſſariam ac naturalem cunctis ratione utentibus g.

VI. Neque eſt quod quiſquam hîc nobis opponat, quaſdam gentes multa quæ nos juris eſſe naturalis ſtatuimus præcepta, ignoraſſe videri: neque enim ideo jus naturale intercidiſſe credendum eſt, quod per incuriam perſcrutandæ ejus quam natura ſatis patefecit veritatis, aut per nimiam peccandi licentiam, in aliquibus gentibus lumen naturæ offuſcari, moréſque à recto tramite deviare perſpiciantur. Quales ſunt, *qui ab impuris ſpiritibus abrepti, & per malam educationem, inſtituta prava, & leges iniquas corrupti, naturales notiones perdiderunt* h. *Non igitur debemus rerum dijudicationem ab illis mutuare quibus corruptus eſt animus* i. Quod & Philoſophis Ethnicis cognitum fuit, nam ex iis quidam ità ſcribit, *quædam nationes efferatæ ſunt, & factæ inhumanæ, ex quibus non oportet, ab æquis judicibus æſtimatione facta, humanæ naturæ convitium fieri* k. Item alius, *apud homines recta ſanique mente præditos immutabile eſt jus illud naturæ quod dicitur: quod ſi his qui morbido diſtortóque animo aliter videtur, nihil id ad rem pertinet. Nam nec mentitur qui mel dulce eſſe dicit, ideo quod ægrotis aliter videatur* l. Denique & illud univerſale huc applicari debet, *quid naturale ſit, ſpectandum in his quæ benè ſecundum naturam ſe habent, non in depravatis* m.

VI. Occurrimus objectioni.

g *Dion Pruſæenſ. Orat. XI.* h *Juſtin. colloq. cum Tryph. Chryſoſt. in Orat. Chriſt. Deum eſſe.* k *Porphyr.* l *Andron. Rhod.* m *Ariſtot. Polit. lib. V.*

VII. *Finis legis naturalis* Bonum universi *& hinc etiam singulorum.*

VII. Restat ut etiam juris hujus *causam finalem* examinemus, quæ est, *commune totius universi particularium gentium, & singulorum hominum bonum. Omnis* enim *Lex*, & proinde etiam naturalis *tendit ad commune bonum* [n]. *Lex enim vocatur præceptum commune* [o], id est, *communi utilitate statutum*; *vel communiter toti universitati factum* [p]. Nos utrumque membrum admittimus. Prius agnoscit Isidorus cum vocat *Legem pro communi omnium utilitate conscriptam* [q]; alterum patet ex locis, ubi *Leges & Canones ab omnibus servari* debere statuitur [r]. Et quoad Legem naturalem, ratio est manifesta, cum enim ea toti universo & omnibus gentibus feratur, consequens est ut commune universi & gentium bonum per eam procurari, intendatur. Id autem commune bonum, est naturalis fœlicitas, sive quietus, tranquillus & Pacificus Reipublicæ communis, & omnium gentium, status. Nam sicut *Leges humanas ad salutem civium, civitatúmque incolumitatem vitámque omnium quietam & beatam, conditas esse constat* [s]; Eundem scopum & naturalem Legem pro universi incolumitate habere, par est. Idémque de gentibus singulis intelligendum, cum & eæ sint partes universi, quæ toti suo conformari debent, & cum etiam per se sint communitates, bonum quoque suum & felicitatem obtinere desiderant, ad quod ipsis jus naturale facem accendit, eásque quasi manu ducit. Major videtur

n *Soto de just. & jur. quæst.* 1. *art.* 2. o *L.* 1. *ff. de legib.* p *Gloss. in d. l.* 1. q *C. erit autem Lex* 2. *dist.* 4. r *L. leges* 3. *C. de legib. C. canonum* 1. *X. de const.* s *Cic. de legib.* 2.

detur esse difficultas in bono singulorum, sed tamen & illud per jus naturale intendi, facile perspiciet, qui modo cogitaverit singulis hominibus præcepta hic dari, quæ omnia ad communem spectant utilitatem: sunt enim & illi partes totius, ideóque bonum cujusque est etiam commodum totius universitatis. Sic *publicè expedire* dicimus, *cives esse locupletes* [t], & *ut nemo re sua malè utatur* [u], quidni igitur totius universi & gentium interesit, cives habere bonos, & pacate inter se viventes? *Omnes omnium charitates patria complectitur*, inquiebat Oratorum maximus [x]: nos autem omnes cives mundi sumus: Rectè itaque & ordine dixit Philosophus Imperator, *civitas & patria mihi, ut Antonino Roma; ut homini, mundus* [y]. Quare ad commune bonum etiam singuli collimare debent: *Quæcunque tua actio respectum non habet sive communi sive eminus ad propositum communitatis, ea vitam diducit, nec unam esse patitur, seditiosáque non minus est quam is qui in populo partem seorsim facit* [z]. VIII.

VIII. Subnectemus jam unum *juris naturalis verè proprium* in eo consistens, quod hoc *jus sit immutabile*; confirmat id Philosophus, dicens, *jus naturæ immutabile est, sicut ignis ubique urit* [a], & quidem à parte hominum res perspicua est, cum enim omnes homines juri naturali subsint, mirum non est, si inferiores in eo quod superius est nihil possint mutare, hinc egregiè Tragicus:

Non id valere credidi jussus tuos,

Juris naturalis proprium, Quod sit immutabile.

t *Nov.* 8. *Sect.* 1. *versu consideravimus.* u *Sect.* 3. *inst. de his qui sunt sui & alien. jur.* x *Cicero.* y *M. Antonin.* z *idem lib.* 9. a *Arist.* 5. *Ethic. cap.* 7.

ut jura non conſcripta, ſed nutu Deûm Conceſſa, ſempiterna, mortalis ſatus Violare poſſes[b].

Sciendum tamen nos *hîc additionem pro mutatione non accipere*; poteſt enim & ſolet poteſtas humana multa definire quæ jus naturæ indefinita relinquit, imo in hoc magna juris civilis portio conſiſtit. *Jus enim civile eſt quod neque in totum à jure naturali recedit, neque per omnia ei ſervit*[c]. Sed quid ex parte Dei? nos & cum præſtantiſſimis Theologis aliiſque, ne quidem à Deo mutari poſſe contendimus[d]: neque enim efficere poteſt, ut quod intrinſeca ratione malum eſt (qualia ſunt ea quæ jure naturali prohibentur) id malum non ſit[e].

IX. *Immutabilitas hujus duriùs, ratione adſtruitur & uberius explicatur.*

IX. Probatur & hæc immutabilitas hac ratione, quod aut præcepta juris naturalis ſunt negativa aut affirmativa; Negativa, cum ſicut ſupra monuimus, pro omni tempore & loco, ſive ut Scholæ loquuntur, ſemper & pro ſemper, obligent, ea nunquam mutari poſſunt, tunc enim ceſſarent obligare. De affirmativis idem judicari debet; nam quamvis eorum non tam ſit manifeſta obligatio, quia tantum in certis caſibus & non (ut ita loquar) pro ſemper obligent: tamen poſitis iſtis caſibus nunquam non obligare deprehenduntur, & extra iſtos caſus à jure naturæ non præcipiuntur. Quod ut clarius explicemus, imprimis notandum eſt Legem naturalem ſcripto nunquam eſſe comprehenſam, atque ita neque audiri neque legi

b *Sophocl. Oedip. Rege.* c *L. Jus civile 6. ff. de juſt. & jure.* d *Soto de juſt. & jure lib. 1. quæſt. 4. art. 5.* e *H. Groſ. de jure belli diſſo lib. 1. cap. 1. §. 10.*

legi poſſe: unde fit ut verba ejus non intelligantur, & nunquam hîc eveniat, quod in humanis legibus crebro contingit, ut plus aut minus ſit ſcriptum quam dictum. Si igitur naturam audire volumus, totum ejus dictamen animo concipere debemus, omnéſque addere circumſtantias & conditiones rei cohærentes (quæ in aliis Legibus limitationes vocantur) quibus omnibus poſitis Lex naturalis tum primum obligare incipit. Sic cum *pacta ſervanda*, cum *depoſitum reddendum*, dicimus, jus naturæ inutile enuntiamus. Utrumque enim has habere debet conditiones, *dummodo is qui paciſcitur plenam habeat de ſe ſuiſque bonis diſponendi poteſtatem, itémque is cui pactum fit: dummodo pacta ſint juſta*, id eſt aliis naturæ aut Dei aut etiam magiſtratuum præceptis, non repugnantia; & id genus alia, quæ congerere longum foret. Quæ omnes conditiones ſi exprimantur, ſtatim orietur in homine obligatio; ſin demantur, non quidem mutabitur aliquid quod juris ſit naturalis, ſed declarabitur nunquam id juris fuiſſe naturalis quia omnes conditiones neceſſariæ non adfuerunt.

X. Deinde & illud conſiderandum, quod ſæpe res de qua jus naturale aliquid conſtituit mutationem recipere ſoleat, quod cum fit non quidem jus naturale mutatur, ſed materia ei juri ſubtrahitur, ità *ſi quem Deus occidi præcipiat, ſi res alicujus auferri, non licitum fiet homicidium, aut furtum*, quæ voces vitium involvunt; *ſed non erit homicidium & furtum, quod vitæ & rerum ſupremo*

X. *Occurritur tacitæ objectioni.*

no Domino auctore fit[f]. Quod ipſum & cum proportione, ex vi ſupremi dominii, ad magiſtratus ſummos applicari poteſt, ut nimirum ex cauſa rationabili poſſint declarare, non manere amplius civibus circa res aliquas id juris quod antea fuerit, ſi eas eo quo debent modo non adminiſtrent: ſic generaliter prodigo rerum ſuarum adminiſtratio interdicitur; iis vero qui per longiſſimum tempus (à Lege definiendum) res aliquas non curare, & quaſi pro derelicto habere inveniuntur, etiam earum dominium aufertur; cui rationi innititur præſcriptio humanis legibus introducta, in odium nimirum negligentiæ, neque tamen per hoc pars aliqua juris naturalis dicenda eſt mutari.

Conſectaria; Primum, lex naturæ non eſt capax interpretationis ſecundum æquitatem.

XI. XI. Supradictis duo conſentanea ſunt, quæ hic breviter attingenus: primum eſt quod Lex naturæ non eſt capax ejus interpretationis, quæ in jure κατ' ἐξοχὴν appellatur: cum enim Lex naturæ ſit ipſa *æquitas*, ejuſque nomine veniat, non datur alia æquitas quæ eam interpretetur. Tum vero ea interpretatio locum tantummodo habet, cum Lex humana propter nimiam univerſalitatem verborum, in quibuſdam caſibus deficere reperitur; ita ut Legiſlator de eo caſu conſultus, contrarium ejus, quod Lex definire videtur, velle ſe diceret. Exempli gratia, ſi omnibus civibus armorum geſtatio prohibeatur, & hoſtis ad portas ſit, non peccabit in eam Legem qui armatus hoſtem arcere conatus ſit, imo vero benè feciſſe judicabitur & ex mente Legis. Lex verò naturalis cum ſcripta non ſit, eo quoque nomine deficere non poteſt; nunquam enim

[f] *H. Grot. dicto loco.* tota

tota auditur, niſi omnes addideris exceptiones, quibus additis nihil ei deeſſe videbimus.

XII. Alterum eſt quod in hanc Legem non cadit diſpenſatio, cum enim ea ſit relaxatio Legis in caſu particulari, propter aliquas rationes plerumque extrinſecas, ut tunc aliquis ea Lege ſolvatur, oportet eo caſu Legis obligationem tolli. Poſita autem in jure naturali cauſa neceſſaria obligandi, non poteſt omnino tolli ipſa obligatio utpote effectus ejus neceſſarius. Cum autem nè ipſe quidem Deus Legem naturæ mutare poſſit, ut ſupra vidimus, conſequens eſt, ut nemo quoque ejus effectum tollere poſſit atque ità omnis hìc diſpenſatio denegatur. XII. *Alterum, in hanc legem non cadit diſpenſatio.*

CAPUT IV.

De effectibus Juris Naturalis.

I. VEniamus ad *effectus juris naturalis*, quos vel maximè noſſe noſtra intereſt, ſunt autem hi, duorum ferè generum. Cum enim antea dictum ſit[g], Legem naturæ mentem noſtram quaſi informare, & per regulas quaſdam dirigere; itémque per idonea præcepta ad obedientiam ſuo modo cogere: conſequens eſt ut unus ejus effectus ſit, *illuminare intellectum noſtrum*, alter vero, *obligare conſcientias*. Et de priore quidem I. *Primus effectus juris naturalis illuminat intellectum.*

g *ſupra cap. 2. Sect. 6.*

dem res clara est, & exemplis fiet clarior: sic Lex naturæ Deum ejusque naturam nobis ostendit, ut postea ad cultum ejus nos exhortetur, ut statim suo loco videbimus: sic virtutes omnes bonas, vitia vero mala esse manifestat, ut postea nos ad illas sequendas, hæc vero fugienda, incitet, & sic deinceps.

II. *Alter, obligare conscientiam.*

II. De altero vero constare nobis poterit, si modo cogitemus nullam esse propriam Legem quæ obligationem non inducat, id est necessitatem quandam operandi vel non operandi: sic legimus. *Ubi præceptum, necessitas est servitutis* [h]: iterumque, *præcepto quisquis non obtemperat, reus est & debitor pœnæ* [i]. Quod nos plerumque verbo, *debendi* explicamus, aut aliquid ità *oportere*, aut *non oportere* dicimus [k]: vocibus his moraliter & in laxa significatione sumptis, scilicet ut id nos debere, vel ità aliquid oportere, dicamus, quod nisi inhoneste omitti non potest, etsi ea honestas non ex justitia expletrice, sed ex alio fonte proficiscatur; quod ex sequentibus locis apparet, *adjuvari nos non decipi beneficio oportet* [m]. *Ultra quam necesse est onerari mulierem, ignorantem vel invitam, non oportet* [n]. *Non oportet ex sententia sive justa vel injusta, pro alio habita, alium prægravari* [o].

III. Cæterum eam obligationem quæ ex jure naturali descendit, etiam *conscientias* hominum

h *Hieron. lib. 3. contr. Jov.* i *August. in lib. de sancta Virg. c. 14.* k *L. 15. natura 84. Sect. 1. ff. de reg. jur.* l *H. Grot. de jure belli lib. 11. c. 7. Sect. 4.* m *L. in commoda 17. Sect. 3. in fin. ff. commod.* n *L. impensæ 79. ff. de verb. signif.* o *L. Lucius 21. ff. de his qui not. inf.*

hominum alligare certum eſt: Et quidem de hac obligatione in conſcientia, ex jure naturali profluente, non malè intelligitur locus Apoſtoli dicentis, *quicunque peccaverunt ſine Lege* (ſupple ſcripta) *ſine Lege peribunt* [p], ſcilicet quia Legem naturalem violarunt. Et rurſus, *Cum gentes quæ Legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt: ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt Lex: qui oſtendunt opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus aut etiam defendentibus* [q], nimirum prout aut ſecundùm obligationem conſcientiæ egerint, aut contra eam peccaverint.

IV. Conſcientiæ vis in utramque partem. Quanta.

IV. Quod ut melius intelligatur, paulò penitius nobis *conſcientiæ vis* examinanda eſt, ut ſciamus, quid ſperandum ſit iis, qui tutam habent conſcientiam; quid contra metuendum iis, quorum conſcientia violati ſibi juris naturalis conſcia eſt. Et quidem ea *ipſa conſcientiæ ſecuritas, benè obſervatæ Legis naturalis præmium eſt ampliſſimum*, hinc incertus auctor

Homini Deus ſua cuique conſcientia eſt [r].

Et egregiè hanc fœlicitatem deſcribit Poëta Tragicus his verbis

Unam ſed aiunt eſſe par vitæ bonum,
Cum rectus animus, nil ſibi conſcis mali [s].

Quod ità Latinè reddidit alius

Hic murus Aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi nulla palleſcere culpa [t].

Con-

p *Paul. Epiſt. ad Rom. cap.* 11. *v.* 12. q *ibid. v.* 14, 15. r *Incert. auct. in excerpt. græc.* s *Eurip. Hippol.* t *Horat. l. Epiſt.* 1.

Contra vero quantum apportet mali temerata conſcientia id vix verbis exprimi poſſe teſtantur varii. Rectè Comicus,

Nihil eſt miſerius quam animus hominis conſcius [a].

Et alius

Scelus aliqua tutum nulla ſecurum abſtulit [x].

Latius etiam in hujus mali deſcriptione verſatur ille, qui cùm dixiſſet

Prima eſt hæc ultio, quod ſe
Judice nemo nocens abſolvitur [y].

mox ſubjungit, — *Cur tamen hos tu*
Evaſiſſe putes, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

& iterum

Perpetua anxietas nec menſæ tempore ceſſat,
Faucibus ut morbo ficis [z].

Quod de bona & mala conſcientia dixìmus, conjungit alius ſic,

Conſcia mens ut cuique ſua eſt, ita concipit intra
Pectora pro facto ſpémq; metúmq; ſuo [a].

Addam etiam duo è Græcis loca unum è Tragœdia

Namque tandem pœnas meritis præmia inſontes ferunt,
At malorum nulla, tales dum manent, felicitas [b].

Unum item ex Comœdia

Nam ſi tantundem referent malus atq; innocens
Et

[u] *Plaut. Moſtell.* [x] *Senec.* [y] *Juven. Sat.* 13. [z] *idem ibid.*
[a] *Ovid. Faſt.* [b] *Eurip. Pœne.*

Et utroſq; tellus pondere æterno premet,
I rape, furare, defrauda, miſce omnia.
Sed nè te falle, ſua & in Orco notio eſt [c].

Alterum eſt quod qui hanc naturæ Legem benè ſervavit, Deum habet faventem, qui aliter ſe geſſit, infeſtum. Prius nobis hic locus monſtrat,

Nam qui Deum venerantur, egregias habent
Spes ad ſalutem [d].
Qui Deos virtutibus
Meruit faventes, ipſe divinus ſibi eſt [e].

Poſterius non obſcurè innuit hæc ſententia,

Non fallunt oculos Deûm, Multo ſanguine
qui madent [f].

Item alius de iis agens ſic utrumque comprehendit

Nam labantes cæli in tabulis, Non ſceleratis ſumus auxilio
Sed queis vitam ſas & pietas, Et jura regunt: horum duros
Tutela fugiat noſtra labores [g].

Tertium eſt quod, etiam in hac vita, prout quiſque ſe, circa præcepta naturæ geſſerit, ità à bonis aut laudatur aut vituperatur.

Nam *Laus vera, & humili ſæpe contingit viro* [h].

Iterumque. *Hominum immortalis eſt infamia,*
Etiam tum vivis cum eſſe cenſes mortuam [i].

Idque ipſum homines ad benè agendum magis magiſque incitet

Laudatiſque virtus
Creſcit, & immenſum gloria calcar habet [k].

Hinc

c *Philemo incert. com.* d *Philem. incert. com.* e *Eurip. Helen.* f *Æſchyl. Agamemn.* g *Eurip. Electra.* h *Sen. Thyeſt.* i *Plaut. Perſ.* k *Ovid. 4. Pont. 2.*

Hinc Horatius

Aut virtus nomen inane eſt
Aut decus & pretium recte petit experiens vir [l].

V. *Quid lex naturæ ob reatum infligat tranſgreſſoribus.*

V. Sed quæret hic aliquis an Lex naturæ tranſgreſſoribus etiam non infligat alium culpæ, ſeu etiam pœnæ, reatum, quod nos omnino admittimus. Et de culpa quidem conſtat, quia qui contra præceptum naturæ facit, is proculdubio culpæ reus eſt, & à peccato excuſari non poteſt. *Peccatum eſt opus iniquitatis, iniquitas autem operatrix culpæ aut delicti* [m]. *Peccatum eſt dictum vel concupitum contra Legem* [n].

De pœna idem eſto judicium; nam ut rectè Liricus

Culpam pœna premit comes [o].

Et alibi idem,

Raro antecedentem ſceleſtum Deſcruit pede pœna claudo.

Convenit et hoc è Græco ſumptum,

Hæc pœna, ſed feſtina, legirupas ſequi
Debebat omnes [p]:

Appoſitè admodum de hac materia agens Tragœdus ſic loquitur

Expecta malum, mala qui patraſti [q].

Item, *Namque tandem paria meritis, præmia inſontes ferunt*

At malorum nulla, tales dum manent, felicitas [r].

Alius etiam in hæc verba prorumpit

Si qui vinæ lumina liquit. Tantum eſt nobis cinis atque nihil; *Si*

l *Horat. lib. Epiſt. 1.* m *Ambroſ. in Apol. David cap. 3. cauſa 33. diſt. 3. de pœn. cap. ille Rex. 25. inf.* n *Gloſſ. ibidem ex Aug.* o *Horat. in Odis.* p *Sophocl. Electr.* q *Euripi. Herc. fur.* r *Idem Jon.* s *Sophocl. Electr.*

Si non eadem cæde rependant Scelerum artifices, periit pietas,
Hominumque pudor [s].

VI. Sed quanquam hic reatum pœnæ, in peccantibus contra naturæ præcepta, jure meritóque agnoscimus; tamen ipsam naturam ullum genus pœnæ (præter laniatus conscientiæ antedictos) aut definire, aut etiam ipso facto inferre, plane negamus. Naturalis enim Lex homines quidem pœnæ obnoxios pronuntiat, sed earum definitionem Deo permittit; aut etiam executionem magistratibus, ex jure gentium vel civili faciendam, delegat: atque ita nullæ pœnæ extrinsecæ, proprie loquendo, sunt naturales. Idque ipsum & Judæi agnoscunt.

VI. *An pœnas extrinsecas.*

VII. Sed dubitet aliquis an Legis naturalis obligatio se extendat, ad omne id, quod in Lege & Evangelio continetur, ut Gratianum loqui quidam autumant [t]. Quod nobis omnino absonum videtur; multa enim sunt in Lege & Evangelio præcepta, quæ de jure naturali non obligarent; aliam enim perfectionem exigit à nobis Lex divina vetus, majorem etiam Lex nova à Christo promulgata, quam Lex naturæ. Nam ea Lex multa quidem ut laudabilia agnoscit, quæ tamen ideo non fuerunt sub præcepto, quod postea Deus in lege veteri aut Evangelio superinduxit, atque ita moralem obligationem, quæ prius deficiebat, adjunxit [u]. Ut videre est in simplici fornicatione, quæ neque eâ quam Noachidis latam

VII. *Quousq; se extendat obligatio legis naturalis.*

D

[s] *Sophocl. Electr.* [t] *In decret. dist. 1. in pr.* [u] *H. Groet. de jur. bell. in prolegom. sub fin.*

latam Judæi volunt, neque lege Moſis, proprie loquendo, fuit prohibita, & tamen Chriſtianis eſt interdicta [x]. Idem de ſimplici mendacio judicium eſto.

VIII. *An lex naturæ aliquos Actus irritos reddat.*

VIII. Nunc porro examinandum venit, an & lex naturalis aliquos actus irritos reddat, quod nos affirmamus, atque ideo hunc etiam effectum juri naturali aſcribimus. Quæ quæſtio in hoc vertitur, an & hic actus, quemadmodum in legibus civilibus, ſic etiam in lege naturali, locum ſibi vindicet. Et quidem in legibus civilibus res aperta eſt, ſiquidem multæ ſunt quæ facta quidem aliqua prohibent, non tamen ea irrita faciunt, aut nullius momenti eſſe pronuntiant [y], quæ leges imperfectæ vocantur [z]. Sunt & aliæ longæ majoris efficaciæ, *cum Legiſlatori, quod fieri non vult, tantum prohibuiſſe ſufficit, cæteráque quaſi expreſſa, ex Legis licet voluntate colligere, hoc eſt, ut ea quæ Lege fieri prohibentur, ſi fuerint facta, non ſolum inutilia, ſed pro infectis etiam habeantur* [a]. Nos itaque præcepta quædam juris naturalis, non tamen omnia, in hanc claſſem relegamus, ità quidem ut irritum ſit quod eo jure prohibetur. Sed id locum tantum habere judicamus, in duobus caſibus, primò cum actus aliquis prohibetur ob defectum poteſtatis, & ſecundò cum ob materiæ incapacitatem. Prioris exemplum eſt in contractu dolo malo inito, qui etiam de jure naturali irritus eſt. Eſt enim in omni contractu conſenſus neceſſarius

x *Act. XV. v.* 20. & 29. y *L.* 1. *ff. de feriis.* z *H. Grot. de jure belli lib.* 2. *cap.* 5. *Sect.* 14. & 16. a *Non dubium* 5. *Cod. de legib.*

rius ad ſubſtantiam, *neque enim contrahere quiſquam aut vult aut poteſt, niſi adſit pleniſſimus conſenſus; cum autem dolus omnis conſenſui contrarius ſit, ſequitur ut quando ille dedit cauſam contractui, contractus iſte ſit ipſo jure naturæ nullus; quod etiam in errore obtinet, ſed cum aliqua diſtinctione* [b]. Secundi vero exemplum eſt, in eo qui actum gerit prohibitum, propter turpitudinem in materia inventam, quando ea turpitudo durat in ipſo effectu. Quod ita effert Juriſconſultus Paulus, *quod Leges fieri prohibent, ſi perpetuam cauſam ſervaturum eſt, ceſſat obligatio: veluti ſi ſororem nupturam ſibi aliquis ſtipuletur* [c].

IX. Quæri & hic poterit, an non etiam jus naturæ producat aliquas actiones, quibus homines, id quod ſuum eſt, vel ſibi debetur, perſequantur, ut & hic effectus reliquis accenſeri poſſit. Nos apprehenſionem ejus quod nobis ſine cauſa ablatum eſt, & retentionem ejus quod nos dare debemus, donec de pretio convento ſatisfiat, ejus vero quod nobis debetur, ſi in manus noſtras pervenerit, nóſque à noſtra parte pacto ſatisfecerimus, competere ſtatuimus [d]. De priore patet, quia, omni jure poteſt quis quod ſibi ita ablatum eſt recuperare: Hinc illud Poëtæ

IX. *Quas jus naturæ producat actiones.*

Et dicam hæc mea ſunt, injiciámque manus [e],

quod etiam in fure, rem noſtram auferente, civilia jura permittunt. De altero vero

D 2 quod

b *H. Grot. de jure belli lib. 2. cap. 11. Sect. 6.* c *L. ſi ſtipulor 35. Sect. 1. ff. de verb. oblig.* d *L. qui promiſit 48. ff. de cond. indeb.* e *Ovid.*

quod talis retentio juris sit naturalis, vel indè liquet, quia id solutum non repetitur[f]; multo magis si ad manus nostras pervenerit retineri poterit[g]. Cæterum alios modos, suum aut sibi debitum consequendi, a jure naturali proditos esse, nobis negandum videtur.

X. *Quo sensu vox obligationis naturalis apud duris, consultos accipiatur.*

X. Sed quoniam *obligationis naturalis* plurima apud Jurisconsultos mentio fit, disquisitionem meretur, quo sensu ea vox ab illis accipi, & quæ vis ei assignari soleat. Constat sanè eam vocem, & *debitum naturale* indè proveniens in stricto significatu & ad justitiam expletricem pertinente, accipi: ut nimirum *obligatio naturalis sit, quæ ex pacto & promissione, cui Lex civilis non adstitit oritur; & naturale debitum, cujus causa de jure quidem naturæ & gentium* (ut Jurisconsulti loqui amant) *subsistit, sed quod tamen jure Romano efficaciter peti non potest:* Hinc rectè Jurisconsultus Paulus, *is natura debet, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem secuti sumus*[h]: sed aliquando tali debito jus civile auctoritatem suam accommodat, & tunc id vocatur, naturale & civile, *quando Prætor favet naturali æquitati, & constituta ex consensu facta custodit*[i]; aliquando jus civile auxilium suum subtrahit, & tunc id debitum manet in puris terminis naturalibus. Sed tamen non ideo omni effectu caret, quinimo etsi obliga-

f *L.* 1. *Sect. id quod* 17. *ff. ad leg. falc.* g *L. si in area* 33. *ff. de cond. indeb. L. per retentionem* 4. *C. de usuris l.* 1. *C. etiam ob Chirogr. ibique D D.* h *L. is natura* 84. *Sect.* 1. *ff. de reg. jur.* i *L.* 1. *ff. de constit. pec.*

ligationem efficacem non parit, parit exceptionem [k], etiam ad faciendam novationem ſufficit, ut ſequens obligatio ſaltem naturaliter teneat [l]. Ad conſtitutum etiam introducendum ſufficit debitum naturale [m]. Item ut fidejuſſor accedat [n], vel pignus [o], denique & compenſari hoc debitum poteſt [p]; hinc etiam *ſervi naturaliter obligantur & obligant* [q]; atque etiam *pupilli, ſi locupletiores facti ſint*, & quidem per hanc præcipuè rationem, *quia naturæ æquum eſt, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem* [r]. Maximus verò hujus naturalis obligationis effectus, quem & ſupra tetigimus, hic eſt, ut ſiquid eo nomine ſolutum ſit, ejus repetitio denegetur; hinc Juriſconſultus Paulus, *naturales obligationes non eo ſolo æſtimantur, ſi actio aliqua eo nomine competit: verum eo, ſi ſoluta pecunia, repeti non poſſit* [s].

k *L. jurisgentium 7. Sect. 1. ſed cum nulla 4. ff. de pact.* l *L. 1. in fine ff. de novat.* m *L. 1. Sect. debitum 7. ff. de conſt. pec.* n *L. 6. Sect. fin. ff. de fidejuſſ.* o *L. naturaliter 13. ff. de cond. ind.* p *L. etiam quod 6. ff. de compenſ.* q *L. ſervi 14. ff. de oblig. & act.* r *d. l. 13. & 14. ff. de cond. ind.* s *L. naturaliter 5. ff. de oblig. & act.*

CAPUT V.

De jure naturali circa Divina.

I. *Transitio à parte Generali ad particularem.*

I. HActenus de jure naturali ejusque natura in genere egimus, nunc ordo materiæ exigit, ut ad particularia veniamus; cúmque supra dixerimus, jus hoc versari circa *divina* & *humana*, supereſt ut prius *de divinis* diſſeramus.

II. *Deum eſſe (in antecceſſum) probatur.*

II. Eſt igitur ante omnia videndum an id jus divinitatem ipſam agnoſcat, & an inde demonſtrari poſſit *Deum eſſe*, quod nos pro comperto habemus: cúmque varia ad id probandum afferri ſoleant argumenta, nobis id palmarium eſſe videtur, *quod res aliquas eſſe factas oſtendat ſenſus; res autem factæ nos ad aliquid non factum deducant*[t]: quod alibi ſic idem explicat, *Res aliquas eſſe quæ eſſe cæperunt, ſenſu ipſo & conſeſſione omnium conſtat. Eæ autem res ſibi non fuerunt cauſa ut eſſent: nam quod non eſt agere non poteſt: nec ipſa res eſſe potuit antequam eſſet. Sequitur igitur ut aliunde habuerit ſui originem, quod non tantum de illis rebus quas ipſi aut conſpicimus aut conſpeximus, fatendum eſt; ſed & de iis unde illæ ortum habent, donec tandem ad aliquam cauſam perveniamus, quæ eſſe nunquam cæperit, quæque ſit, ut loqui ſolemus, non contingenter ſed neceſſario. Hoc autem, qualecunque tandem ſit, id ipſum eſt, quod Numinis aut Dei voce ſignificatur*[u]. Alii *primam*

t *H. Grot. de jure belli lib. 2. cap. 20. Sect. 55.* u *Idem de verit. Relig. Chriſtianæ libr. 1. in princ.*

mam causam vel *causam causarum*, vel *ens entium*, vel *ens primum* vocant, quæ locutiones in unum fere recidunt. Est & alterum argumentum quo id dilucidè satis probatur, sumptum ab unanimi consensu omnium gentium, in quibus aliquid modo humanitatis elucet, nam ab iis ubique aliqua, quocunque id fiat nomine, colitur divinitas. *Deos esse inter alia sic colligimus, quod omnibus de Diis opinio insita est, nec ulla gens usquam est, adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos Deos credat* x. Egregie Oratorum Princeps, *Omnes esse vim & naturam divinam arbitrantur. Nec verò id collocutio hominum aut consensus efficit: non institutis opinio est confirmata, non legibus putanda est* y. Audiamus & Poëtam Tragicum Græcum,

Advertite, esse qui Deum non creditis,
Pravisque mente duplicatis crimina,
Est, est profectò z.

III. Evicto Deum esse, facile evincetur etiam *unum esse*: est enim Deus ens (ut diximus) necessarium, nulla autem necessitas concipi potest, nisi sub ratione unius: unitatem ubi excesseris, neque necessitatis ratio reddi potest, neque repugnantia inter diversos evitari; tum vero alia attributa omnipotentis & infiniti (de quibus statim agemus) Deo propriè convenire non poterunt. Nec desunt huic sententiæ nostræ auctores quoque & laudatores; qui enim sapientiæ nomine inter Ethnicos maximè claruerunt, ii in hac parte nobis omnino adstipulan-

III. *Eundem etiam unum esse, evincitur.*

x *Sen. Epist.* 117. y *Cic. Tusc. quæst.* 1. 1. *Invit. Paryxo.*

ſtipulantur. *Unam videas per terras omnes legem famámque conſentientem, Deum eſſe unum, rerum univerſarum & Regem & Patrem* [a]. Antiſthenes dicebat: *Populares Deos multos, naturalem unum eſſe* [b], & apud Græcos Sophocles:

Unus profecto eſt, unus eſt tantum Deus [c].

IV. *Quod ſit etiam inviſibilis.*

IV. Eſt & alterum Dei attributum, quod *ſit inviſibilis*; atque ità non poſſit ſub aliqua externa ſpecie a nobis concipi, ſed tanquam aliquid ſublimius omnibus quæ videri poſſunt, utpote ens ſimpliciſſimum. Quod & ipſum agnoverunt Ethnici, ut ille qui de Deo ſic loquitur:

Qui cuncta cernit ipſe ſe cerni vetat [d].
Mortalis quem nemo videt, videt unicus omnes [e].

Et Poëta Comicus,

Dic quæſo, qualem fas putas credi Deum?
Quî cuncta ſpectet ipſe non ſpectabilis [f].

Unde & eum templo aliquo comprehendi poſſe negat Euripides:

Qui poſſet ædes, ſtructa fabrili manu,
Tenere vim parietibus incluſam Dei [g]?

Et multò adhuc planius id explicat alius,

Sejunge ab omni ſede mortali Deum,
Nec carne amictum, nec tui ſimilem puta:
Ignotus ille eſt [h]. Idem alibi,
Et terra, & æther, & poli arx, eſt Juppiter,
Et cuncta ſolus, & aliquid ſublimius.

V. *Providus*

V. Tertium quod natura de Deo non occultè prodit, hoc eſt, quod *Deus res omnes humanas,*

a *Max. Tyr. diſſ.* 1. b *Cic. de nat. Deor.* 1. c *Sophocl. inc. Trag.* d *Eurip. inc. Trag.* e *Carm. Orph.* f *Philem. inc. com.* g *Eurip. inc. Trag.* h *Æſchyl. inc. Trag.*

manas, & quidem summâ cum justitiâ, procurat. *& res Humanas curet.*

Paria igitur sunt Deum tollere, vel ei curam humanarum rerum adimere, & omnino impius est qui

Non curare Deûm credit mortalia quenquam [i].

Melius Poëta Sulmonensis,

Nec secura quies illum, similisq; sopori,
Detinet [k]. Et Tragœdus Græcus.
Quippe cum justæ manifesta curæ
Præbeat nobis documenta cœlum [l].

Optimè verò Philosophus, dummodo pro Diis Deum ponas.

Pietatis hoc principium, benè sentire de Diis, qui & sunt, & res omnes justè ac rectè administrent [m]. Ut & pluribus auctoritatibus probat auctor commentarii de jure belli & pacis [n], quibus & hæc addi possunt

Est profecto Deus, qui quæ nos agimus auditque & videt [o].
Aspiciunt oculis superi mortalia justis [p].

Est & egregius de Deo locus, ubi sic homo quamvis impius

Florere vita nempe perpetua Deum,
Natura cui sit potior, & cui mens vigil
Quæcunque fiunt curet atq; intelligat:
Hominum profata qui repentè exaudiat,
Actúsq; cernat: nescius falli arbiter [q].

Tum & illud universale quod Deus

Justè quidem, sed itinere surdo res agit mortalium [r].

Deus

i *Virg. Bucol.* k *Ovid. de art. am.* l *Eurip. Heraclid.* m *Epict.* n *d. c. 20, Sect. 46. & ibidem notat.* o *Plaut. capt.* p *Ovid. Metamorph.* q *Eurip. Sisypho.* r *Idem Troad.*

Deus nunquam & nusquam injuria, sed quantum potest justissimus [r].

Si jus sequentem, cum profano atq; impio
Sors æqua sequitur, quomodo bonè res cant,
Si nulla juris optimo cura est Jovi [s].

Imo ille etiam desertos ab omnibus non derelinquit

———*Nostri interim*
Non est qui curam habuerit extra unum Deum [t].

VI. *Quod sit opifex omnium extra se.*

VI. Quartum in quo Deus cognoscendus nobis à natura proponitur, est, quod *opifex est omnium extra se*: cum enim sit prima causa & causa causarum, consequens est, ut pulcherrimum totius mundi opificium Deo acceptum ferre debeamus; quod & ipsum multi ex Ethnicis viderunt, Quibus Deus est

——*qui compita numine magno*
Conciliumque virûm complet, pelagúsq; profundum,
Et pelagi portus: fruimur Jove & utimur omnes:
Nos genus illius [u].

Per Jovem enim Deum verum mundi opificem intelligi debere, testis est Apostolus Paulus [v]. Is enim est

Cœli solique machinam qui condidit
Vadúmque ponti cærulum & vim spiritus [w].

Et quidem de prima creatione hominis, audi Poetam Latinum

Natus homo est, sive hunc divino semine fecit

Ille

s *Plat. in Theæt.* t *Eurip. Phryxo.* u *Menand. inc. com.* x *Arat. Præm. in pr.* y *Act. XVII. v.* 28 z *Simplicl. inc. com.*

Ille opifex rerum, mundi melioris origo [a]
audi & Græcum

A Dei ratione ratio naſcitur mortalium [b].

Pulchre Euripides

Grates meretur quiſquis humanum Deus
Secrevit ævum, belluarum à moribus,
Primùmq; mentis lumen, atq; interpretem
Linguam, ſonique judices aures dedit [c].

VII. Ex quatuor his attributis Dei jam adſtructis, fundamenta ſua ſumunt quatuor priora decalogi præcepta, quæ Deum & divina tangunt. Primum enim unitatem Dei complectitur. Alterum, quod imaginem Dei fieri vetat, naturæ ejus inconſpicuæ innititur. Tertio ſubſternitur cognitio & cura rerum humanarum, etiam cogitationibus non excluſis, quibus jurisjurandi Religio fulcitur. Quarto opificium mundi pro fundamento eſt, cui ſuperſtruitur Sabbathi ſanctificatio, in tanti operis memoriam [d]: & eatenus quidem ea præcepta juris naturalis eſſe, & in eo jure fundari conſtat.

VII. *Ex præmonſtratis, quatuor priora Decalogi præcepta, deducuntur.*

VIII. Cæterum ſunt & alia Dei attributa, non minus ei propria, quæ conſtiunt in vita, potentia, ſcientia, bonitate, & quicquid omnino perfectionis nomine intelligere ſolemus, & quidem modo infinito. Eſt itaque vitæ infinitæ, id eſt, æternus; pollentiæ immenſæ, id eſt, omnipotens; ſcientiæ indeterminatæ, id eſt, omniſcius; bonitatis verò incomparabilis, id eſt, optimus [e]. Sed hæc omnia non difficulter

VIII. *Alia Dei attributa recenſentur.*

a *Ovid. in Metamorph.* b *Epicharm. in Rep. ſupplic.* c *Eurip.* d *H. Grot. dicto lib. 2. de jure belli cap. 20. Sect. 45.* e *Idem de ver. Relig. Chriſt. lib. 1. in pr.*

culter ad quatuor priora reduci poſſunt: æternitas enim fluit ex natura entis neceſſarii ejuſque unitate: potentiam vero & ſcientiam utramque ſine fine, & ſupremam bonitatem, involvit, tum cura rerum humanarum, cum ſumma juſtitia conjuncta; tum opificium mundi, cujus fabrica ſine iis nunquam fuiſſet abſoluta.

IX. *Eaque Ethnicis Scriptoribus in notuiſſe, confirmatur.*

IX. Et ſingula quoque hæc Ethnicis ſcriptoribus ex lumine naturæ innotuiſſe ex infra dicendis palam fit: nam, ut ab *Æternitate* incipiamus, Cicero Deum vocat, *Mentem ſolutam quandam & liberam, & ſegregatam ab omni concretione mortali, omnia ſentientem & moventem, ipſumque præditam motu ſempiterno* [f].

Idem vetuſtiſſimus Poëtarum

——*Fictorem conſpice mundi,*
Unus is, æternus, ſuntque omnia facta per unum [g].

Ad *Omnipotentiam* verò ſpectant ſequentia

—— *Immenſa eſt, finémque potentia cæli*
Non habet, & quicquid ſuperi voluere peractum eſt [h].

Huc pertinet & hic locus

Quos Dî tuentur, his amicorum nihil
Opus eſt; abundè ſufficit fautor Deus [i].

Et quod Deus ſibi ſufficit,

Deus aut eget nullius, aut non eſt Deus [k].

Concinunt & alia,

Deo patrante, quidlibet fieri queat [l].

Ad *Scientiam* vero & *Sapientiam* quod attinet, en pauca

Mor-

f *Cic. 1. Tuſc. l. quæſt.* g *Carm. Orph.* h *Ovid. Metamorph.* 3. i *Eurip. inc. Trag.* k *Idem inc. Trag.* l *Sophocl. Ajace flagell.*

Mortale miſerum ſapere cur ergo genus
Putatur? A te noſtra pendent omnia,
Facinuſque, vlſum quod voluntati tuæ eſt m.

Hinc Philoſophus Latinus, *Nihil Deo clauſum eſt, intereſt animis, & mediis cogitationibus intervenit* n.

Et Græcus in Comœdia,

Res nulla eſt Deum quæ lateat, ſcire quod te convenit,
Ipſe eſt noſter introſpector: tum Deus nil non poteſt o.

Iterúmque

Nec acus filum Pamphile concuperis,
Quando ipſe præſens Deus inſpectat omnia p.

Denique & *Bonitatem* Dei omnes deprædicant auctores, unus ait

Nullum Deorum quippe crediderim malum q.

Alter vero etiam fidentius ſic fatur,

Qui ſit Deus, Bonus idem ſit neceſſe eſt r.

Optimè igitur Auguſtinus, *de Deo optimè exiſtimare, pietatis eſt exordium* s.

X. Ex his omnibus duo ſunt conſectanea quæ ad materiam legum propius accedunt, quorum primum eſt, Deum *eſſe ſupremum Legiſlatorem*. Eſt enim rationi vel maximè conveniens, ut ille, qui viget, qui meminit, qui regit & moderatur t, mundo quem condidit legem ponat, quod ipſe, ut auctor legis naturalis, abundè præſtitit, ſicut ſupra à nobis demonſtratum eſt u. Judæi verò etiam alio nomine eum *Legiſlatorem* appellant: nam legem Noacho & ejus poſteris (quos Noachidas vocant) in reſtauratione

X. *Conſectaria; primum* Deum *eſſe ſupremum legiſlatorem.*

m *Eurip. inc. Treg.* n *Seneca.* o *Epicharm. inc. com.* p *Men. inc. com.* q *Eurip. Iphig.* r *Men. inc. com.* s *Aug. de lib. arb. lib.* 1. t *Cic. in ſomn.* u *Supra cap.* 1. & 3.

tione mundi post diluvium à Deo promulgatam, ex traditione agnoscunt; septem scilicet præceptorum, quorum primum est, *de cultu extraneo*, sive *idololatria*. 2. *de maledictione Numinis*, sive *Blasphemia*. 3. *de effusione sanguinis*, sive *homicidio*. 4. *de revelatione turpitudinum*, sive *de turpitudine ex concubitu*. 5. *de furto & rapina*. 6. *de judiciis* seu *regimine forensi, ac obedientia civili*. 7. *de non comedendo membro animalis viventis*[x]. Quibus etiam alii addunt octavum, *de honorandis parentibus*.

XI. *Alterum eundem esse rerum omnium summum Dominum.*

XI. Alterum est, quod Deus, utpote Creator totius mundi, *in omnes homines* non tantùm *summam habeat potestatem*, sed etiam *supremum in res à se creatas dominium*, hinc de priore illa sententia,

Deus Imperator, nemo mortalis mihi[y].

Item illa non minus decantata.

Regum timendorum in proprios greges.
Reges in ipsos, Imperium est Jovis[z].

Cui consequens, Deo magis quam hominibus parendum

Nonne ergo forti corde, sepositio metu
Mortalis iræ, par Deo magno fuit
Gerere morem[a].

Et alibi, -- *Non te quidem cœlitibus æquantes Deis*
Ego & hæc juventus has fores adsedimus,
Sed te autumantes Principem[b].

De posteriore vero patet, non tantum quia Deus Dominus omnium dicitur, in sequenti loco,

Quam

x *Selden. de jure natur. juxta disciplinam Hebr. libr.* 1. *cap.* 10. y *Sophocl. in Trag.* z *Horatius.* a *Sophocl. Antig.* b *Idem Oedipo Rege.*

Quam Deus instituit, rerum Dominus omnium [c],

Sed etiam ex alio ubi sic Poëta Tragicus,

Non possidemus propria mortales bona,
Sed jus Deorum, nostra dispensatio est;
Et commodata cum volunt repetunt Dei [d].

XII. Et hæc quidem hactenus de Deo ex naturalibus principiis hausta, sufficiant pro nostro instituto; plura nec nostra tenuitas, nec Dei magnitudo patitur: nam

De Deo etiam vera dicere periculosum est [e].

Rectè Tragicus de hac materia loquens,

Quem me ergo mones servare modum?
Res haud nimium curare Deûm [f].

Aut ut apertius id explicat Comicus,

Non indagare quid Deus sit: impium est
Eum discupere scire, qui sciri nè vult [g].

Manum igitur de tabula tollam, ampliorem hujus rei discussionem Theologis, ad quos hæc proprie spectat provincia, delegans.

XII. *Cur prædicta sufficiant instituto nostro.*

XIII. Ex naturalibus hisce de Deo notionibus, derivantur hæc *præcepta* sive *leges*; id enim non immerito iis ascribi potest. 1. *Deum esse honorandum.* 2. *amandum.* 3. *colendum.* 4. *ei obtemperandum* [h]. De *honore* qui Deo debetur res clara est; est enim ens summum, veneratione dignissimum, itaque *Deum decet semper purâ, integrâ, incorruptâ & mente & voce venerari* [i].

XIII. *Quatuor præcepta seu leges ex naturalibus de Deo notionib. deductæ. Prima Deum esse Honorandũ.*

Hinc Philosophus: *Alibi aliqua quædam esse*

c *Philem. inc. com.* d *Eurip Phœniss.* e *Cypr. in Symb. Aug.* f *Æsch. Suppl.* g *Men. inc. com.* h *H. Grot. d. cap. 10. Sect. 45.* i *Cic. de nat. Deor. 1.*

esse honesta, Deum honore prosequi, ubique [k];
Et Poëta Tragicus, *Estote memores rite venerari Deos* [l].

Quod & eleganter docet illustris hic locus, *Filius honorat Patrem, & Servus Dominum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus* [m]?

XIV. *Secunda lex Deum esse amandum.*

XIV. Deum verò *amandum* esse, vel ipsa amoris vox ostendit, cum ea de sui natura in bonum feratur, omne enim bonum per se amandum est, ergo supra omnia Deus, summè bonus: indè & ipse Deus, jure suo, amorem hominum exigit his verbis, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua* [n].

XV. *Tertia Deum esse colendum.*

XV. *Cultus* quem Deo debemus, vocatur propriè *religio*; aliquando etiam nomine *pietatis* insignitur: de utroque hoc habe; *si est pietas cognoscere Deum, cujus cognitionis hæc summa est ut eum colas, ignorat utiq; justitiam, qui religionem Dei non tenet* [o], de hac Tragicus

Pietas durat ad summum diem,
Vivente, moriente homine, non intercidit [p].

Idem alibi, *Pietas aliqua est coluisse Deos* [q].
Et hæc quidem præcipuè in animo residet

Optimus animus pulcherrimus Dei cultus est [r].
Deo sacrifica semper ingenio probo [s].

Idem *Sat ille purus nullius sceleris sibi*
Qui conscit.

&

k *Arist. Top.* 11 4. l *Sophocl. Philoct.* m *Malach. cap.* 1. *v.* 6. n *Deut. cap.* 6. *v.* 5. o *Lactant. lib.* 5. p *Sophocl. Philoct.* q *Idem Antig.* r *Seneca.* s *Men. inc. com.*

& alius, *Pia & modeſta mente venerare Deos, Uſumque præbens maximum mortalibus* [t].

XVI. *Obedientiam* Deo deberi, nemo unquam negavit; quod ſi quis, eo prolabatur impietatis, in eum quadrabunt ſequentia

Quiſquis hoc æquum negat, is furori
Proximus, demens agitat quadrigas [u].

Nos contrarium ſtatim probavimus [x], idémq; ex opificio univerſi probat auctor de jure belli & pacis [y].

XVI. *Quarta, Ei obtemperandum.*

XVII. Plura ſunt quæ nos Deo debemus, ſed hæc præcipua ſunt, quibus & reliqua fere continentur, quare hic ſupersedebimus; illud interim monuiſſe contenti, priora illa duo præcepta, ex ſeptem enumeratis, quæ Judæi agnoſcunt, etiam inniti fundamentis ex jure naturali petitis. Primum enim *de Idololatria*, conforme eſt primo Decalogi præcepto, & poſita unitate divini numinis, ratiocinando facile inde colligitur. Deus enim verus fictitiis Diis honorem ſuum communicare non vult. Alterum verò *de maledictione numinis*, maximam habet rationem, quid enim intolerabilius, quam ſummum Numen convitiis & maledictis proſcindere, quod nec per legem civilem in contumeliam honeſti hominis, impunè facere licet [z].

XVII. *Reliqua ad iſta quatuor referri poſſe.*

XVIII. Sed mirabitur fortè aliquis nos, qui unitatem Dei argumentis à natura petitis jam adſtruximus, ſubinde citare auctores, quſ in allegatis locis, Deorum meminerint.

XVIII. *Occurritur objectioni deſumptæ à citatione Auctorum.*

t *Eurip. Bacch.* u *Eurip. Hera l.* x *cod. cap.* y *H. Grot de jure belli in prol gem.* z *L. fin. ff. de inj. & paſſim.*

minerint. Nos respondemus, ea quæ ibi de Diis dicuntur, tanquam divinitati convenientia, à nobis ad verum Deum applicari: exemplo Apostoli, qui, de Jove dicta, vero Deo adaptat [a]. Deinde etiam distinguendum inter populares Deos, qui plures esse credebantur, & naturalem, qui unus, ut supra dictum: sæpe autem auctores isti, præcipuè Poëtæ, ut puta cum populo agentes, populariter quoque loqui coacti fuerunt & proprios sensus premere, quos tamen subinde prodiderunt, cum vi veritatis victi unum Deum confitentur, ut in Cicerone, Sophocle, Euripide, aliisque usu venire videmus: neque putandum hunc popularem errorem veritati præjudicium facere posse, non magis quam populi Judaici, cui unitas Dei satis erat manifestata, & tamen ad extraneos Deos eorúmque cultum defeciſſe palam est. Manent enim certæ & veræ naturales notiones, licet quidam aut multi etiam populi, dictamen naturalis legis quasi obliteraverint: nos enim quærimus *quid constet apud homines, qui rectè atque ut oportet sapiunt, non apud eos quibus laborat mens, aut perversa est* [b].

CA-

a Act. XVII. *loco supra allegato.* b *Andr. Rhod. Paraphr. in Eth.*

Caput VI.

De jure naturali circa publica.

I. Veniamus ad ea quæ ſtatum publicum concernunt, & primò quidem univerſalis ſe offert regula, quod *in omni cœtu, & præcipuè perfecto, regere & regi, neceſſarium eſt.* Quemadmodum enim in familia imperat paterfamilias, ita ubi plures familiæ in unum congregantur, ut cœtum perfectum conſtituant, neceſſariò debet eſſe aliqua poteſtas, ad quam ſpectat gubernatio; cum itaque natura non deficiat in neceſſariis, conſequitur indè, talem poteſtatem naturæ eſſe conſentaneam. Id & hac ratione evincitur, quod nullum corpus poteſt conſervari niſi ſit aliquod principium ad quod pertineat procuratio boni communis, quia ſingula privata membra privatis commodis ſtudent, quæ ſæpe communi bono adverſantur: eſt etiam ſubinde aliquod neceſſarium bono communi, quod privatos minus tangit, ideóque ab illis negligeretur, unde & cura alii principio fuit demandanda. I. *Regiminis neceſſitas evincitur ratione.*

II. Auctoritates ſi quærimus, videamus Deum, qui juxta Judæorum ſcita, omnibus Noachidis mandatum dedit *de judiciis* ſeu *regimine forenſi*, ut ſupra diximus, quique peculiari ſuo populo Iſraëlitico *magiſtratu, judices & reges dedit*, non id facturus, ſi abſque iis populus rectè ſubſiſtere potuiſſet. Audiamus eum & loquen- II. *Auctoritate item Divina & Humana.*

tem, *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt: per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam* [c]: & iterum, *Ubi non est Gubernator, populus corruet: salus autem ubi multa consilia* [d]. Audiamus & Philosophos, *Regere & regi non tantum inter ea quæ necessaria, sed & utilia* [e]. Alius item, *istud est vinculum per quod respublica cohæret; ille spiritus vitalis quem toti millia trahunt, nihil per se futura nisi onus & præda, si mens illa imperii subtrahatur* [f]. In eundem sensum & ille qui dixit, *Unum esse reipublicæ corpus, unius spiritu regendum* [g]. Audiamus & Poëtas,

Nec ulla pestis pejor imparentia est,
Hæc & domos evertit, & claras diu
Prosternit urbes, ordines turpi fuga
Conturbat: hominum maximos contra greges
Servant gubernandi atque parendi vices [h].

Et postea. *Quem civitas constituit, audiri hunc decet.*

Iterum. *Namque me imperitantibus*
Parere viris, ratio & utilitas jubent [i].

Omnibus itaque discendum est,

Quid distet imperare & imperium pati [k].

III. *Officia superiorum & subditorum.*

III. Nullus igitur populus est, qui non aliquod agnoscat regimen, habeátque & superiores, quocunque ii nomine vocentur, & subditos. Superiorum est benè imperare; &

Consulere in medium, rebusque occurrere fessis [l].

Sub-

c *Prov. VIII, v* 15. 16. d *Idem XI. v.* 14. e *Arist.* 1. *Pol. cap.* 3. f *Senec.* 1. *de clem.* g *Tacitus.* h *Sophocl. Antig.* i *Sophocl. Philoct.* k *Æsch. Promet.* l *Virgilius.*

Subditorum vero, benè obtemperare, nam ut ait Hiſtoricus, *Subditis obſequii gloria relicta eſt* [m].

Quæ harmonia ſi benè obſervetur reſpublica iſta florebit,

Fœlicitatis mater obſequentia eſt [n].

Et privati fœliciter vivent,

Si volo quaſi liberum
Ævum agere, ſupereſt obſequar regnantibus [o].

Sin ſecus, omnia conturbabuntur, atq; ità tandem tota peribit reſpublica, ut ex allegato Sophoclis loco patet.

IV. Regimen aliquod Politicum juris naturalis eſſe jam vidimus, ſed formam aliquam regiminis à natura propriè præſcribi, negamus; ſufficit enim ei eſſe qui commune bonum procurent, plures an unus ſint, omnes an pauci id faciant, parum intereſt: manet igitur hoc in poteſtate populi, cui tale eligere regimen, quod ſibi magis conveniat, integrum eſt. Cum igitur tres fere ſint rerumpublicarum formæ, *Democratia*, *Ariſtocratia* & *Monarchia* juxta illud Hiſtorici, *cunctas nationes & urbes Populus, aut Primores, aut Singuli regunt* [p]: Poterit populus, ſi modo liber eſt, talem ſibi ſumere reipublicæ formam, quam rebus ſuis conducere judicaverit. IV. *Forma regiminis à poteſtate populi.*

V. Addo, ſi modo liber eſt, nam ſi ſit ſub alterius, vel populi vel Principis imperio, regimen ejuſque formam ab illo accipere debebit: *Liber autem populus eſt is, qui nullius alterius populi poteſtati eſt ſubjectus* [q]. V. *Modo liber ſit.*

m *Tacitus.* n *Æſchyl. ſeptem ad Th.* o *Sophocl. Electr.* p *Tacitus.* q *L. non dubito. 7. ff. de captiv. & poſtl. rever.*

Idem igitur de populo, quod de homine libero, judicium esto; quia sicut homo liber de se ipso pro suo libitu statuere potest, *est enim libertas, naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi à superiore prohibeatur*[1]. (Sic enim malo, quam ut aut *vis* aut *juris*, ulla hic fiat mentio,) ità & populus quale voluerit regimen imponere sibi potest.

VI. *In Democratia penes quem summa potestas sit.*

VI. Si itaque populus *Democratiam* elegerit, penes cives erit jus & potestas se suaque regendi & de iis disponendi. Cæterum *cives* hic vocamus *omnes paterfamilias, aliósque qui sui juris, & capaces per ætatem sint de rebus etiam arduis judicium suum interponendi. Servi* igitur & *amentes*, omnésque fere *impuberes*, jus ferendi suffragii non habent: illi quidem ob amissam libertatem, & rationis defectum; hi vero ob infirmitatem judicii nondum satis maturi: *Fœminas* verò firmæ jam ætatis, & patriæ potestati exemptas, à jure suffragii naturalis ratio excludere non videtur; quanquam nullæ eas nationes, fortè ob solam honestatis rationem, ne cœtibus virorum se immiscerent, unquam ad publica Comitia admiserint. Ex his itaque constare jam potest, quomodo in hoc regiminis genere, subditi à superioribus distinguantur; omnes enim cives in Comitiis congregati imperant, subditi vero sunt non tantùm ii, quos à jure suffragii arceri diximus, sed etiam singuli è populo, qui decretis ejus congregationis parere tenentur.

VII. Ma-

[1] *Bald. & libertas 2. inst. de jure pers.*

VII. Manifestius est hoc discrimen in *Aristocratia*, ubi pauci imperant, reliqui verò omnes & singuli parent: Manifestissimum vero in *Monarchia*, ubi *imperii ratio non aliter constat, quam si uni reddatur* [s]. Rectè igitur & universaliter, de his duabus speciebus regiminis, Romanum illud usurpari potest, *quod populus ei & in eum, (*sive potius *in se) omne imperium suum & potestatem concesserit* [t]. Et quanquam talis electionis à populo factæ, non extent tabulæ, tamen id pacto tacito inter populum, & rectorem sive rectores actum videtur, ut omnem habeant potestatem, quæ ad summum imperium ejusque executionem sit necessaria, qua semel posita necesse est ut omnes obediant,

Nam vim regni, cuicunque data est, sprevisse nefas [u].

VII. *In Aristocratia & Monarchia penes quem.*

VIII. Et hæc quidem potestas, quam, sive omnes, sive pauci, sive unus, à populo, & in populum, eximio quodam modo habent, solet à nobis *Majestas appellari*; & definiri non malè potest, *plenum jus imperandi familiarum cœtui, ad vitam civilem sufficienti, ejusque partibus, soli Deo obnoxium.* Notandum tamen hîc, potestatem aliquando absolutè conferri, aliquando sub certis legibus; ità ut imperium inter Principem & populum partitum quasi sit: sed hæc pluribus prosequi, nostri non est instituti: videatur de his, aliisque, commentarius de jure belli & pacis [x].

VIII. *Quid sit Majestas Imperii.*

s *Tacitus.* t *Sect. sed & quod 9. instit. de jure natur.* u *Sophocl. Antig.* x *H. Grot. de jure belli lib. 1. cap. III. Sect. 8. & 17.*

IX. *Constitutâ formâ reginiis populo nullo modo resistere licet.*

IX. Unum certè præterire non debemus, quod nempe post formam regiminis, ità ut diximus, electam & delatam, sive uni homini, sive uni cœtui, majestatem; populo jam variare amplius non conceditur, adeo ut nec ei aliqua quæ ingrata populo sint imperanti, resistere ullo modo liceat [y]: habent enim hic locum, quæ de patre dicta legimus,

Ames parentem si æquus est, si non, feras [z].

Hinc Apostolus, *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* [a]. Atque hinc interpretationem accipit jus illud regium, quod describit Propheta Samuel: nimirum, ut regi se ità, ut illic dicitur, gerenti, resisti non possit [b]: & hoc sensu tolerari potest hoc è Tragœdia

Æquum ac iniquum Regis imperium feras [c].

X. *In quibus reginiinum speciebus standum Majoris partis Decretis.*

X. Illud, in iis reginiinum speciebus, quæ per cœtus exercentur, generale est, quod qui se cœtui alicui subjiciunt, videantur se subjicere majori parti ejus cœtus, ut nempe quæ plurium suffragiis decreta sunt, ea rata ac firma sint, atque omnes ità obligent, ac si nullus in toto fuisset cœtu dissensus. *Parendum enim his quæ major pars censuerit* [d]. Et *quod pluribus placuerit cunctis tenendum* [e]. Et rursus alius, *Tam in comitiis quam in judiciis vincit pars major* [f]. Et iterum: *Eo, quod major pars decrevit, stetur* [g]. Recte itaque

y *dicto cap. III. Sect. 8.* z *Publ. Mim.* a *Paul. Epist. ad Rom. v. 2. & 3.* b *Reg. 1. cap. VIII. v. 11.* c *Seneca.* d *Dion Halicarn. lib. XI.* e *Plin. lib. VI. Epist. 13.* f *Appian.* g *Curt. lib. X.*

itaque Jurisconsultus Scævola, *quod major pars Curiæ effecit, pro eo habetur ac si omnes egerint* [h]. *Est enim verum omnes judicasse* [i], & generaliter *refertur ad universos, quod publicè fit per majorem partem* [k].

XI. Est & hoc universale in omni regimine, ut quoniam omnia, ab eo aut iis, apud quos summa potestas est, non possunt expediri, liceat iis, quibusdam, sive collegiis, sive personis, aliquas partes demandare, utputa magistratum, rem militarem, jurisdictionem in civilibus aut criminalibus, & alia id genus: *potest enim quis per alium quod potest per seipsum*: éstque perquam necessarium, *ut qui rebus suis ipsi superesse vel nolunt, vel non possunt, per alios id possint agere* [m]. Quod vel maximè in summis potestatibus, quæ variis muneribus præficiunt delegatos, ut vices suas in iis obeant: quod cum sit, populus similem illis debet obedientiam, quam ipsis delegantibus deberet, cum hoc tamen discrimine, ut summis potestatibus propter se sciat obediendum, delegatis verò propter ipsos delegantes, & in vim mandati ipsis concessi. Hinc Apostolus, *subjecti estote omni humanæ creaturæ, propter Deum: sive regi, quasi præcellenti: sive ducibus tanquam ab eo missis* [n].

XI. *Delegatis obediendum propter ipsos delegans.*

XII. Quæ de obedientia præstanda hactenus diximus, ità sunt accipienda, ut semper excipiatur mandatum superioris. Soli enim Deo absoluta debetur obedientia, ut summo

XII. *Humanis potestatibus quousque obediendum.*

h *L. quod major 19. ff. ad municip.* i *L. Pomponius 36. & l. dum 39. ff. de re judic.* k *L. aliud 160. Sect. 1. ff. de reg. jur. l. L. priest qui X. de reg. jur. in sexto.* m *L. 1. Sect. 2. ff. de prec.* n *1 Petr. cap. 11. v. 13. 14.*

summo rerum omnium creatori, conservatori, & Domino. Humanis vero potestatibus, etsi in genere suo summis, ea tantum conditione, ut id legi naturæ, à Deo cordibus nostris impressæ, aut aliis Dei præceptis, non adversetur; alias locum habere debet vulgatum illud, *si justum est in conspectu Dei, vos potius audite quam Deum, judicate*[o]. Item hoc, *obedire oportet Deo magis quam hominibus*[p]. Idem cum proportione obtinet in his quæ ab inferioribus Magistratibus injunguntur, quibus in iis tantum obtemperandum est, quæ neque naturali juri, neque ullis divinis præceptis, neque summarum potestatum legibus aut justis repugnent.

XIII. *An suprema potestas, supereminens habeat Dominium in vitam & res omnes subditorum.*

XIII. Pertinet & hoc ad materiam quam tractamus, quod de jure naturali respublica, vel qui supremam in ea tenet potestatem, sicut in vitam ità & in res omnes subditorum supereminens habet dominium, ut de iis ad publicam utilitatem ità possit disponere, ut commune bonum reipublicæ postulaverit: quod benè notasse conducet ad multa, quæ aliàs jus privatorum lædere credi possint: Exempla passim occurrunt apud auctorem de jure belli & pacis[q].

XIV. *De reliquis controversiis circa jus publicum cur Author non egerit.*

XIV. Possent & hic attexi nobilissimæ aliquot de jure publico controversiæ: quid reipublicæ in aliam rempublicam deceat, ubi de jure armorum & fœderum: quid reipublicæ in cives liceat, ubi de tributis & pœnis: Item quæstiones de officiis Principis, Magistratus, Judicum, aliorúmq; qui populo

o *Act. cap. IV. v.* 19. p *Ibid. cap. v.* 29. q *H. Grot. de jure belli libr.* 1. *cap.* 1. *Sect.* 6. *& libr.* 11. *cap.* 25. *Sect.* 3.

populo præsunt, sed eæ non sunt hujus disquisitionis. Nos itaque memores propositi nostri, quod est, de principiis juris naturalis Enchiridion scribere, hæc jam missa faciemus, lectorem ad aliorum hac de re politicas lucubrationes remittere contenti, & imprimis ad Commentarium de jure belli & pacis, sæpe jam citatum.

CAPUT VII.

De jure naturali concessivo.

I. DIximus supra Jus Naturale aliud esse *concessivum*, aliud verò *præceptivum*. Absolutis igitur pro modulo nostro divinis, & publicis, supereſt, ut ea jam, quæ *concessiva* sunt examinemus; quæ tam latè patent ac leges, de quibus posteà acturi sumus. Ideóque singula suis locis inferemus; interim partem primariam hîc prosequuturi. Habet Jus Naturale *concessivum*, inter alia, pro objecto ipsum *hominis corpus*, & alia quædam accidentia, quæ ei aut sunt *intrinseca*, aut *extrinseca*; *intrinseca* voco, *vitam*, *libertatem*, *existimationem*; *Extrinseca* verò, *quæ ad sustentandum corpus pertinent*. I. *Objectum Juris naturalis concessivi.*

II. *Corpus* ipsum quod attinet; Non quidem homo absolutum habet dominium, ut de eo pro lubitu disponat, habet tamen eam facultatem, quæ dominio proxima est: Et hoc est quod dici solet: *Neminem esse dominum* II. *Quid Homini in corpus suum liceat.*

dominum membrorum ſuorum [r]: *Item liberum corpus nullam recipere æſtimationem* [s]: Nam nihilominus pro membro liberi hominis aut fracto, aut vulnerato utilis legis Aquiliæ actio competit. Et licet cicatricum, & deformitatis nulla fiat æſtimatio, tamen impenſarum in curatione factarum, & operarum quibus caruit, aut carieturus quis eſt, ob id quod inutilis factus eſt, ratio habetur [t]. Illud certè generale eſt, quod totius conſervandi cauſa, membrum aliquod non tantum incidi, ſed & ſecari, & abſcindi poteſt: id tamen leges civiles, niſi cum conſenſu ſuperiorum, non permittunt.

III. *Quid Homini pro vita ſua tuenda liceat.*

III. Sequitur quæſtio *de vitâ*, quæ duas habet partes, diſquirendum itaque, quid homini *pro vita*, & *in vitam* liceat. Vitam omnibus modis defendi poſſe, etiam cum periculo, imo & jacturâ vitæ alienæ, conſtans eſt omnium ſententia. *Omnis enim honeſta ratio eſt expediendæ ſalutis* [u]. Hinc illud: *Hoc & ratio docuit, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, ut omnem ſemper vim quacunque ope poſſent, à corpore, à capite, à vita ſua propulſarent* [x]. Et ratio eſt evidens. *Primum in omni genere debet eſſe defenſio, quia naturâ potior eſt ſalus noſtra, quam adverſarii pernicies* [y]. Unde & illud egregium: *Eſt naturæ lex illa, quæ in omnibus valet, ut velint vivere, idque ipſum eſt quapropter eos, qui vitâ manifeſtè nos volunt ſpoliare, hoſtes*

r *L. I. ber homo.* 13. *ff. ad l. Aquil.* s *L. fin. ff. de his quæ eff.* t *d. ll.* 13. *& fin.* u *Cic. pro Milon.* x *Cic. eod. loc.* y *Quinſil. VII. cap.* 11.

hoſtes cenſemus [z]. In eundem ſenſum loquuntur & Juriſconſulti Gajus: *Si ſervum tuum latronem mihi inſidiantem occidero, ſecurus ero; Nam adverſus periculum, naturalis ratio permittit ſe defendere* [a]. Et Florentinus: *Jure hoc evenit, ut quod quiſque ob tutelam corporis fecerit, jure feciſſe exiſtimetur* [b]. Ulpianus item: *Vim vi repellere licere Caſſius ſcribit, idque jus naturâ comparatur* [c]. Paulus verò cum dixiſſet: *Vim vi defendere omnes leges, omniâque jura permittunt:* poſtea addit duas limitationes optimas: *Illum ſolum qui vim infert ferire conceditur: & hoc, ſi tuendi duntaxat, non etiam ulciſcendi causâ factum ſit* [d].

IV. Difficilius eſt de altera quæſtione, quid *in vitam liceat*, judicium, propter auctoritatem magnorum apud Ethnicos virorum, qui homines & retinendæ, & amittendæ vitæ ſuæ dominos eſſe voluerunt; quin & pro glorioſo facinore habuerunt, ſi quis aut metu majoris mali, aut tædio vitæ, violentas ſibi manus inferret; ſed nos melius edocti, graviſſimis de cauſis accedere ipſis non poſſumus; Cum enim à Deo homini vita ſit conceſſa, quamdiu ipſe voluerit, profecto in Dei jus inviolare dicendus eſt, qui decretum ejus, facto ſuo, quaſi prævenit, neque quid de ſe ſtatuturus ſit exſpectat; quemadmodum in militiâ miles graviſſimè peccare dicendus eſt, qui aut militiam deſeruit, aut ſtationis munus reliquit [e]. Deinde

IV. *Quid Homini in vitam ſuam liceat.*

z *Joſeph. de bello Jud. lib.* 3 *cap.* 5. a *L. Itaque* 4. *ff. ad l. Aquil.* b *L.* 21 *vim.* 3. *ff. de juſt. & jur.* c *L.* 1. *Sect. vim.* 27. *ff. de vi & vi arm.* d *L. ſcientiam* 45. *Sect.* 4. *ff. ad l. falcid.* e *L. deſertorem* 3. *& Sect. qui ſtationem* 5. *ff. de re milit.*

Deinde etiam cum homo reipublicæ civis, & membrum sit insigniter in eam injurius est, tam qui se ipsum, quam qui alium civem reipublicæ subtrahit.

Immo tanto plus peccat qui se, quam qui alium occidit, quod alium occidens corpori tantum ejus nocet, non item animæ, at qui se ipsum necat, & corpus, & animam nefandè perdit; optimè Augustinus: *Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem inferre sibi debere, veluti fugiendo molestias temporales, nè incidat in perpetuas: neminem propter aliena peccata, nè hoc ipso incipiat habere gravissimum proprium, quem non polluebat alienum: Neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magis hac vita opus est, ut possint pœnitendo sanari: Neminem desiderio vitæ melioris, qua post mortem speratur, quia reos sua mortis melior post mortem vita non sequitur* [f]. Idem paulo ante: *Si non licet privatâ potestate alicui hominem occidere, vel nocentem, cui occidendi licentiam nulla lex concedit: Profectò etiam qui se ipsum occidit homicida est* [g]. Neq; huic nostræ sententiæ refragatur dictũ Ulpiani: *Licet servis naturaliter in corpus suum sævire* [h]. Nã illic vox *Naturaliter* improprie pro eo quod sæpe fit accipitur. Melius idem ipse Ulpianus alibi: *Excipitur & ille* (nimirum edicto Ædilium, ut nempe redhiberi servus possit, si in venditione non expressum sit hoc vitium [i]) *qui*

f *Aug. lib. 1. de civ. Dei cap. XVII. VIII. in dec. et. caus. XXIII. quæst. 5. cap. si non licet 9.* g *eod. loc.* h *L. sed si 9. Sect. si ipso 7. ff. de pecul.* i *L. 1. Sect. 1. ff. de Ædilit. Edict.*

qui mortis conſciſcendæ cauſa quid fecerit: Malus ſervus creditus eſt, qui aliquid facit, quo magis ſe rebus humanis extrahat, & rationem addit, *tanquam nonnihil in altum auſurus, qui hoc adverſus ſe auſus eſt* [k]. Quam rationem in eadem hac materia etiam conſideravit Martianus, dicens, *qui ſibi non pepercit, multo minus alii parcet* [l].

V. *Liberos* homines (nam de iis ſolis hic agimus) *in libertate naſci*, atque ità *libertatem* ipſis naſcendo, à natura concedi conſtat [m]. Plus tamen in *eam* juris, quam in vitam habere homines, vel inde apparet, quod ſeipſos in ſervitutem vendere poſſunt [n]. Quod quanquam ex jure civili introductum, ac ideo per conſtitutionem Imperatoris poſteriorem, iterum ſublatum ſit; [o] Satis tamen inde colligitur, jus naturæ ei non repugnare, & non conceſſam ità libertatem, ut alienari ea nullo modo poſſit. Cum igitur *libertas inæſtimabilis res eſſe* dicitur, & *infinita ejus æſtimatio* [p]: tunc id cum grano aliquo ſalis intelligendum, exempli gratia, ubi de libertate quæſtio eſt, nè æſtimatio ad infinitum extendatur, certam ſummam ejus nomine promittendam: Verum enim verò, quicquid ſit de jure civili, certè jure gentium per captivitatem in bello, libertatem amitti omnibus in confeſſo eſt [r], in vicem vitæ, quam eo jure victor victo poteſt eripere [s]. Hinc Poëta:

V. *Quid juris homini conceſſum circa libertatem ſuam*

Ven-

k *L. cum autem* 23. *Sect. excipitur* 3. *ff. dicto tit.* l *L. fin. Sect.* 6. *ff. de bon. eorum qui mortem ſibi conſc.* m *Sect. jus autem* 5. *inſtit. de jur. natur.* u *Sect. ſervi* 5. *inſtit. de jure perſon.* o *Nov. Leon.* 59. p *L. libertas* 106. *ff. de reg. jur. Item eſt* 176. *Sect.* 1. *eod. tit.* q *L. procurator* 8 *ff. rem ratam haberi.* r *dicto Sect. jus autem.* s *Sect. ſervi* 4. *inſtit. de jur. perſ.*

Vendere cum poſſis captivum occidere noli,
Serviat utiliter, ſine paſcat durus, aréque [t], &c.

Pro libertate autem *conſervandâ*, idem fere homines poſſe, quod pro vitâ, inde manifeſtum eſt, quod de jure gentium (nam de jure civili nihil in invitos ſtatuitur) ſi in bello vita non amittitur, ſuccedanea eſt, in victis, jactura libertatis, quam propterea ad extremum uſque ſpiritum propugnare omnibus licet.

Quid circa exiſtimationem.

VI. *Exiſtimationis* eadem fere eſt ratio, unde & vitæ comparari ſolet, *fama enim, & vita paribus paſſibus eunt* [u]. Et *crudelis eſſe* dicitur, *qui famam ſuam negligit* [x]. Nec id mirum cum *exiſtimatio ſit dignitatis illæſa ſtatus, legibus ac moribus comprobatus* [y], quæ exiſtimatio à nobis contemni non debet; *Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra* [z]. Præſertim *cum ea nunquam, niſi cum libertate, plenè conſumatur* [a]: *neque minui poſſit, niſi ob turpe aliquod facinus ab homine perpetratum* [b]. Unde latinè loquentibus, *Omnis cauſa exiſtimationis capitalis videtur* [c].

Quid vitæ, libertati & exiſtimationi commune.

VII. Illud certè *vitæ, libertati & exiſtimationi* commune eſt, ut in delicti (quod ſpontaneum eſſe neceſſe eſt) pœnam amitti planè poſſint. Et *de vita* quidem, ex lege veteri, quæ multa capitalia ſupplicia pro modo delictorum admittit, res clara eſt. Deus

t *Horat. Epiſt. lib. 1.* u *L. juſta 9. ff. man. vind. Æ. cauſ. XI. quæſt. 3. cap. non ſunt 56.* x *cauſ. XII. quæſt. 1. cap. nolo 10.* y *L. cognitionum 5. Sect. exiſtimatio 1. ff. de extr. cogn.* z *dicto cap. non ſunt 56.* a *dicto l. 5. Sect. finali.* b *tot. t. ff. de his qui not. infam.* c *L. 1. cet 3. ff. de verb. ſignif.*

Deus enim naturæ auctor, cum vitæ & necis libertatem in omnes homines potestatem habeat, vicarios sibi hac in parte summos magistratus constituit, ut facinorosi in pœnam delicti, eâ privari possint; *Libertas* autem, manente vitâ, etiam per deportationem amittitur: *Existimatio* vero, ex delicto non tantum cum libertate interire [d], sed etiam ex aliis quoque causis minui potest. Hæc omnia lucem fœnerabuntur iis, quæ de Juris naturalis immutabilitate supra à nobis disputata sunt.

VIII. Quæ *ad sustentationem hominis* faciunt, ea in *victu, amictu & domicilio* præcipue consistunt [e]. Ad *victum* spectant esculenta, & poculenta, id est cibus & potus: de his aliter judicandum manente inter homines bonorum communione, aliter post eorum divisionem. Communionis tempore per rerum naturam licuit cibum ex arboribus carpere; fructus, quos terra ferebat, legere; feris, piscibus, volucribus, quos quisq; ceperat vesci; atque ita non occupata occupare, nili cum injuria, ea in usum suum consumere, poterat prohiberi; si vero aliquis ab alio semel occupata, iterum vellet occupare, manu ei resistere licebat. *Concessum, sibi ut quisque malit, quod ad vitæ usum pertinet, quam alteri acquiri, non repugnante naturâ* [f]. Et alius: *Si hæc conditio est, ut quicquid in usum hominis cessit, proprium sit habentis, profecto quicquid Furc possidetur, injuriâ auferetur* [g]. De potu idem esto

VIII. *Quid Furis concessum circa ea quæ ad sustentationem Hominis faciunt.*

F judi-

d *d. l. cognitionum.* 7. *Sect.* 2. & 3. *ff. de extr. cogn.* e *l. Verbo victus.* 43. *ff. de verb. signif.* f *Cic. de offic. lib.* III. g *Quintil. declam.* 13.

judicium, cui ante repertum vinum, aqua, aut profluens, aut ex fontibus, aut effossis puteis hausta, sufficiebat, neque poterat quis prohiberi aquæ profluentis usu. Hinc illud

Quid prohibetis aquas? usus communis aquarum est [h].

Neque aliter circa amictum vel vestitum se res tunc habuit, cum homines vel nudi viverent, vel se corticibus arborum, aut ferarum, itémque ovium pellibus vestirent, quæ omnia ad manum erant, neque multo egebant paratu. Domicilii vero extruendi nullus erat usus, nam tunc, *domus antra fuere* [i], quæ occupari statim poterant, eique qui occupaverat cedebant. Quæ omnia sic optimè explicat Tragicus Græcus

Communis æther hominibus, tellus quoque,
In qua ampliare sic fas est domum,
Ut ab alienis rebus, ac vi temperet. [k]

Sed de his jam satis pro nostro instituto, plura qui desiderat, adeat inter alia commentarium de Jure belli, & pacis. [l]

IX. *Post factam divisionem quæ hinc mutatio accíderit.*

IX. Post divisionem soli factam magna accidit mutatio, præcipuè in iis, quæ ad sustentationem hominis pertinent, unusquisque enim sibi consulere debuit unde viveret; neque enim Jus occupationis mansit integrum, nisi in iis quæ nunquam divisa, in veteri communione perstiterunt; Nimirum aër, mare, flumina, & iis contenta, volucres, & pisces: [m] In rebus verò soli, licet per totos populos jam divisis, ea loca, quæ

h *Ovid. Metamorph.* i *Ovid. Metamorph.* k *Eurip. Helen.* l *H. Grotius de Jure belli lib.* 11. *c.* 2. *Sect.* 2, 3, *& seq.* m *Sect. & quidem.* 2. *Instit. de rerum divis.*

quæ à nemine adhuc erant inſeſſa, aut occupata, quo ſenſu recte dicitur, *Quod ante nullius eſt, id naturali ratione occupanti concedi.* n Ex iis itaque terris, quæ parentibus in prima rerum diviſione obtigerant, & ad poſteros tranſmiſſa erant, aut ex aliis recens, ut diximus, occupatis, unuſquiſque alimenta ſibi, ſuiſque quærere debebat.

X. Cæterum cum & hæc vix ſufficerent, ab aliis ſubſidia ſibi petere coacti ſunt homines, permittente id, immo & incitante natura

Mutuus ut nos
Affectus petere auxilium, & præſtare juberet. o

Atque hinc *omnium pactorum* inter homines *origo*. Primo igitur ſe obtulit *permutatio*, cum ſcilicet quidam habebant aliqua ſibi minus utilia, aliis vero neceſſaria, quæ ipſi inter ſe permutabant, & hæc quidem ſpecies contractus vetuſtiſſima eſt. p

X. *Pactorum origo unde?*

XI. Sed cum & tum æqualitas pretii vix poſſet inveniri, tandem eo deventum eſt, ut *nummi uſus* introduceretur, qui eſſet publica, & communis pretii, & æſtimationis menſura; iſque à pecore, cujus figura inſignitus erat, pecuniæ nomen aſſumpſit. Atque ità ad *emptionem*, & *venditionem* deventum eſt, per quam, cum de certo pretio convenîſſet, quiſque omnia ea, quæ ad vitam ſuſtentandam ſunt neceſſaria, comparare poterat: qui modus longè utiliſſimus, longius porro productus eſt, & ad

XI. *Nummi uſus quando & cur introductus.*

n *Sect. ſeræ 14. Inſt. d. tit.* o *Juvenal. Satyr. XV.* p *Sect. Item pretium. 3. Inſt. de empt. vend.*

alia etiam minus neceſſaria, ut & in iſtis aliorum indigentiæ copia aliorum ſubveniret. Sed de his poſtea latius.

CAPUT VIII.

De generalibus aliquot Juris Naturalis præceptis.

I. *Primum juris naturalis præceptū generaliſſimum, Bonum ſequendum, malum fugiendum.*

I. PRiuſquam ad ulteriora progrediamur, viſum eſt nobis hic *generalium* aliquot *Præceptorum* mentionem facere, quia multa alia in iis fundantur. Et primo quidem loco occurrit illud generaliſſimum, *bonum ſequendum, malum fugiendum*; cujus cum antea ſemel atque iterum facta ſit mentio [q], nihil jam dictis addemus, digitum in ea intendiſſe contenti.

II. *Secundū, Omnes virtutum Actus ſunt exercendi ſuo Tempore & Loco.*

II. Tum etiam illud repetemus, quod & ſupra monuimus [r], Jus naturale jubere, *omnes virtutum actus ſuo tempore & loco exereere*: ſed nec huic præcepto latius inſiſtemus, hoc ſolum addito, *eum qui ità ſe gerit, & eſſe, & dici, Virum bonum*:

Hi mores, ſervare modum, finémque tenere,
Naturámque ſequi, patriæque impendere vitam;
Nec ſibi, ſed toti genitum ſe credere mundo, &c.
Juſtitiæ cultor, rigidi ſervator honeſti,
In commune bonus [s].

Hinc

q *Supra cap.* 1. *cap.* 111. r *id. cap.* 1. s *Lucan. lib.* 2.

Hinc & alius Poëta;

——*Vir bonus eſt quis?*
Qui conſulta patrum, qui leges jurâque ſervat[t].

III. Illud paulo latius examinabimus, quod Natura jubet *hominem homini beneſacere*, unde & natum eſt proverbium *Homo homini Deus*. Hinc & illud Ambroſii: *Non ſatis eſt benè velle, ſed & beneſacere*[u]. Ratio eſt, quia *cognationem quandam inter nos natura conſtituit*[x]. Et ut ait Imperator Philoſophus; *Homo in id natus eſt, benè ut aliis faciat*[y]: & Oratorum Maximus, *Homines hominum cauſâ, ait, eſſe generatos, ut ipſi interea ſe alius alii prodeſſe poſſent*[z]. Ideóque etiam *beneficio hominem affici, hominis intereſt*, ut ſapientiſſimè dixit Papinianus. Idque vel maximè pertinet ad conſervandam humanam ſocietatem: *Num quo alio ſuſi ſumus, quam quod mutuis juvamur officiis? hoc uno inſtructior vita, contrà incurſiones ſubitas munitior eſt, beneficiorum commercio*[a].

III. *Tertium, Natura jubet Hominem beneſacere.*

IV. Spectant huc imprimis ea beneficia, quæ humanitati debentur, quæ ſine vituperio negari nemini poſſunt, ut *Homo qui erranti comiter monſtrat viam*[b], aliáque ejus generis; *Non prohibere aquam profluentem: pati ab igne ignem capere, ſi quis velit: Conſilium fidele deliberanti dare*[c], quæ ſi quis neglexerit Diris devoveatur ut ex hoc loco diſcimus

IV. *Quæ huc ſpectent beneficia.*

t *Horat. lib. 1. Epiſt. 16.* u *Diſt. Lxxxvii. c. non ſatis* 14. x *l. 3. ff. de Juſt. & Jur.* y *M. Antoninus lib 9.* z *Cic. 1. de officiis.* a *Sen. IV. de benef. c. 18.* b *Ennius apud Cicer de offic. lib. 1.* c *Cic. eod. loc.*

- - - Neſcis in Dirarum carmine
Hoc eſſe, ni quis rectè monſtraſſit viam,
Ignem ni accenſit, ſi quis aquas inſecerit. [d].

Et quouſque ſe extendat.

V. Non tamen hic ſubſiſtit naturalis obligatio, ſed ad ea quoque, quæ majoris ſunt momenti ſe extendit, nam etiam dictat, *ut quicquid ſine detrimento poſſit commodari, id tribuatur cuique, vel ignoto, Nimirum ea, quæ ſunt iis utilia, qui accipiunt, danti non moleſta.* [e] Quod ipſum & JCti agnoſcunt; dicentes: *cui non æquum videbitur, vel hoc ſaltem conſequi emptorem, quod ſine diſpendio creditoris futurum eſt* [f]. Et alibi; *id facere poſſum, quod factum mihi quidem prodeſſe poteſt, alteri non nociturum.* [g]

Modus & menſura beneficiendi; Quod tibi fieri volueris, &c.

VI. Modum & menſuram horum beneficiorum ſi quis jam quærat, vix inventurus eſt extra hanc Juris naturalis regulam: *Quod tibi fieri volueris id alteri faciendum*, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus in Evangelio ſic effert: *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis* [h], quæ regula tam eſt univerſalis, ut omnia fere hominum officia inde definiri valeant; conſulat enim homo in caſu oblato ſe ipſum, & accuratè examinet, quid ſibi fieri eo caſu vellet, & tunc de alio ſic ſtatuat, ut de ſe ſtatuturus eſſet.

Item, Diliges proximum

VII. Quod ipſum & aliis verbis in lege Moſis, & in Evangelio ſic proponitur: *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum* [i]: Charitas

d *Diphil. Com. Paraſit.* e *Cic. lib. 1. Offic.* f *L. in creditore. 38. ff. de evict.* g *L. 2. Sect. 5. ff. de aqua pluv.* h *Matth. cap. VII. verſ. 12. Luc. VI. verſ. 31.* i *Levit. c. IX. verſ. 18. Matth. XXII. verſ. 37.*

ritas enim benè ordinata, ut ſolet dici, incipit à ſe ipſo, atque ità homo officii ſui in alios exemplar penes ſe habet, ne quærat foris; Rectè igitur Poëta

Metiri ſe quemque ſuo modulo, & pede, verum eſt. [k]

Exigitur ab homine, ut *proximum amet ſicut ſe ipſum, non ſupra ſeipſum:* quo ſenſu verum eſt illud Comici

Omnes ſibi melius eſſe velle, quam alteri [l],

Idque & JCti approbant, cum dicunt, *Prodeſſe ſibi unusquiſque dum alii non nocet, non prohibetur* [m]: Et Cicero: *Sibi ut quiſque malit quod ad uſum vitæ pertineat, quam alteri acquiri, conceſſum eſt, non repugnante naturâ* [n]. Licet igitur homini in conferendis beneficiis ſui ante omnia rationem habere: In hunc ſenſum dixit Seneca: *Dabo egenti, ſed nè ipſe egeam* [o]. Et Chryſoſtomus: *Deus pro facultate poſcit, quatenus habet quis, non quatenus non habet* [p]. Et generale eſt illud Hiſtorici: *Melior eſt cauſa ſuum non tradentis, quam poſcentis alienum* [q]. Hoc certè omnino non licet, ut cum nobis ſatis providerimus, aliis nè idem faciant impedimento ſimus. *Nam neque alimenta nobis fas eſt perdere, ubi ipſi plus ſatis habemus, neque fontem, quando indè quantum libet potaverimus, obturare, aut occultare, neque ſigna navigationis, aut itineris abolere, quæ nobis uſui fuerint* [r].

tuum ſicut te ipſum.

VIII. *Qui Homines nomine proximi deſignentur*

VIII. Sed poſſet hic quæri, quoſnam hic homines

k *Horatius.* l *Terentius.* m *L. 1. Sch. idem aiunt.* 11. *ff. de aq. pluv.* n *Cic. de off. lib.* 3. o *Sen. de ben.* 2. p *Chryſoſt. in Epiſt.* 11. *ad Cor.* q *Curtius.* r *Plutarch. in ſympoſ. c. VII.*

homines nomine *proximi* designemus. Nos omnes eos, qui aut ope, aut operâ nostrâ indigent, intelligimus, juxta explicationem Servatoris [s]. *Non illi tantum proximi nostri credendi sunt, quos nobis gradus sanguinis jungit, sed proximi nostri credendi sunt omnes homines naturæ nostræ participes* [t]. Non desunt tamen inter eos gradus, quos in omni officiorum genere observare prudentiæ est. *Neque enim par est æqualem curam subiri pro externis, & pro amicis* [u], sed hos gradus tantum attigisse sufficiat; *Perfecta liberalitas, fide, causâ, loco, tempore commendatur, ut primum opereris circa domesticos fidei* [x]. Plura hac de re apud alios, imprimis verò Ciceronem invenies [y].

IX. *Quartum juris præceptum seu lex æqualitatis.*

IX. Est & altera generalis lex, quæ *æqualitatem in omnibus servandam*, & *ad æqualitatem omnia redigenda* jubet; Nam ad eam inter liberos servandam parentes lex hortatur [z]. Tum etiam ex ipsa ad æqualitatem omnia reducit [a]. Unde & sæpe occurrit, quod æquâ lance aliquid fieri dicitur, cum ultro citróque sic observatur proportio, ut alteri nihil adsit cum detrimento alterius. Sic *æquâ lance servari* [b]: Item *filios unâ eâdémque lance trutinari* [c]: *Ambo veniant æquâ lance ad hæreditatem* [d]: *æquâ lance mares, & fœminæ vocentur*: [e] *æquâ lance*

s *Luc. c. X. vers.* 30. t *N. cons. XXXIII. qu.* 3. *c. charitas.* 5. *Sect. non illi.* u *Arist. Eth. Nicom. V.* x *Ambr. off.* 1. *c.* 3. y *Cic. lib.* 1. *offic.* z *Nov.* 22. *c. illud quoque* 48 a *L. illud.* 22. *in f. C. de Coll. l.* 77. *Sect. pater.* 21. *ff. de leg.* 2. b *L.* 20. *ff. de re Judic.* c *L.* 10. *C. de nat. lib.* d *L.* 4. *C. de verb. sign.* e *L.* 4. *C. de lib. præter.*

lance dividere hæreditatem. f Quæ omnia æqualitatem in omnibus rebus humanis quam maximè desiderari ostendunt; sed nullibi id clarius apparet, quam in materia contractuum. *In contractibus natura æqualitatem imperat, & ità quidem, ut ex inæqualitate jus oriatur minus habenti.* g Plura ad hanc pertinentia apud autorem Commentarii de Jure Belli & Pacis dicto loco, invenire est, quæ nos brevitati studentes hic omisimus.

X. Ex illo fonte promanat vulgata juris regula: quod *locupletari nemo debet cum alterius injuria.* h Ratio est: *Nam hoc naturâ æquum est neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem,* i unde ex tali inæqualitate nascitur actio, nimirum *condictio indebiti, quæ ex bono & æquo introducta, quod alterius, apud alterum, sine causâ, deprehenditur, revocare consuevit;* k Quid ni? cum etiam dicat Jurisconsultus Paulus *videri quem, dolum malum fecere, qui ex alienâ jacturâ lucrum quærat.* l Accedit hac in parte Jurisconsultis Cicero, ita scribens: *Contra naturam est hominis incommodo suum augere commodum.* m Et alibi: *Illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus.* n Estque hujus dicti tanta æquitas, ut multa hinc extra præscripta legum definiri testetur, & exemplis

X. *Hinc juris regula promanat; Neminem locupletari debere cum alterius injuria.*

f *L.* 23. *Cod. de legat. l.* 7. *Sect.* 1. *C. ad Senat. Tert.* g *H. Grot. de jure belli lib. II. cap.* 12. *Sect.* 8. h *L. locupletari* 48. *de reg. jur. in fixo.* i *L. nam hoc natura* 14. *ff. de condict. indebiti l. jure naturæ* 206. *ff. de reg. jur.* k *L. hæc condictio* 66. *ff. de condict. indeb.* l *L. siquis* 17. *Sect.* 4. *in F. ff. de institor.* m *Cic. lib. III. de Off.* n *Idem Cicero.*

plis probet, auctor Commentarii de jure Belli & Pacis. o

XI. *Hinc etiam, lucri & damni eadem ratio.*

XI. Hinc ortum etiam habet non minus decantata Juris Regula, quæ *lucri & damni eandem debere esse naturam* dictat, quam his verbis effert Jurisconsultus Pomponius, ut affinem priori faciat *bono, & æquo non convenit, aut lucrari aliquem cum damno alterius; aut damnum sentire per alterius lucrum.* p Et idem alio loco: *secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda* q. Jurisconsultus verò Ulpianus; *æquum est, ut cujus quis participavit lucrum, participet & damnum.* r Unde & Imperator Justinianus negat *ferendum eum, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit.* s Quomodo autem & lucri, & damni ratio iniri possit optimè nos ex Mutio Scævola docet Paulus, dicens *neque lucrum intelligitur nisi omni damno deducto, neque damnum nisi omni lucro deducto* t: Eandem autem utriusque naturam esse vel hinc patet, quod alibi dicitur: *Qui sentit onus, sentire debet commodum, & contra.* u Cæterum longè inter se distant *lucro prohiberi*, & *damnum sentire*, ut enim rectè ex Proculo Ulpianus scribit: *Non debet videri is damnum facere, qui lucro, quo adhuc utebatur, prohibetur. Multùm autem interest, utrum damnum quis faciat, an lucro, quod adhuc faciebat, uti prohibeatur.* x

XII. In-

o *H. Grot. de jure belli l. b. II. cap.* 10. *Sect.* 2. p *L.* 6. *ff. de jure dot.* q *L. secundum naturam* 10. *ff. de reg. jur.* r *L. si agitur* 55. *ff. pro soc.* s *L. unic. C. de Cad. toll. Sect.* 4. *in fine* t *L. Mucius* 30. *ff. pro soc.* u *C. qui sentit* 55. *X. de reg. jur.* x *L. Proculus* 20. *ff. de damn. inf.*

XII. Innititur & huic fundamento generali pervulgatum illud: *Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.* [y] Nam *meliorem* quidem *conditionem alterius facere licet* [z], quia id cum beneficentia quam hominem homini debere diximus, satis congruit: *Deteriorem vero facere nunquam permittitur.* Igitur *ante omnia animadvertendum est, nè conventio in aliâ re facta, aut tum aliâ personâ; in aliâ re, aliâve personâ, noceat.* [b] Et generaliter verum est: *Inter alios res gestas, aliis non posse præjudicium facere.* [c] Rationem si quæris, audi duplicem: *Neq; enim debet nocere factum alterius ei, qui nihil fecit:* [d] Neque *ex aliena malignitate alienum damnum debet emergere.* [e] Semper enim iniquum judicatur, *ut alieno odio alius prægravetur.* [f] Quod eatenus verum est, ut nec id fieri possit cum alius commodum indè sentit. Itaque *si non potest subveniri alteri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvari, quam gravari alterum.* [g] His consequens est Regulam hanc locum habere in absentibus, & ignorantibus, ideóque *per factum alterius, juri absentis & ignorantis non derogatur.* [h] Maximè vero id obtinet in pœnis; *Ibi enim debet esse pœna, ubi & noxia est, & Peccata suos debent tenere auctores,* [i] quia *non est in aliena potestate;* con-

XII. *Item non debere alteri per alterum iniquam conditionem inferri.*

y *L. non debet 74. ff. de reg. jur.* z *L. si debitor 55. de pact.* a *L. servus 3. l. filius 23. C. de pact. l. melior 133. ff. de reg. jur.* b *L. si unus 27. Sect. 4. in fin. ff. de pactis.* c *L. 1. C. res inter alios gest.* d *L. de pupillo 5. Sect. si plurium 5. ff. de op. nunt.* e *L. fin. C. de adquir. poss. l. si quis 33. Sect. 1. Cod. de inoffic. Testam.* f *caus. XIV. quæst. 5. c. denique 10. h l. coheredis 17. C. fam. ercis.* i *l. sanimus 22. C. de pœnis.*

conditionem meam, nihil delinquentis, deteriorem facere. [k]

CAPUT IX.

De Præcepto honeſte vivendi quoad ſe ipſum.

I. *Quid ſit Honeſtè vivere in genere.*

I. AD reliqua ordine pertexenda ducem ſumemus Imperatorem Juſtinianum, qui in principio Inſtitutionum ſuarum ſic loquitur: *Præcepta Juris hæc ſunt, honeſtè vivere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere,* [l] quæ nos ſingula paulo latius examinabimus; Eſt igitur inter præcipua juris naturalis præcepta, honeſtè vivere, cujus vim ut percipiamus *virtutes, & actiones virtutibus congruentes, & quicquid ità univerſum eſt ſuapte natura per ſe expetendum, honeſti verbo complectimur.* [m] Id alibi Cicero filio ſic inculcat: *A te, mi Cicero, peto, ut mihi concedas, nihil præter id quod honeſtum ſit, eſſe propter ſe expetendum.* [n] Imo & ipſa honeſti contemplatio non parvam homini affert voluptatem, ut eſt in Tragœdia Græca

Pars doctrinæ magna vereri,
Et læta animo gaudia præbet,
Placidis ſecum volvere curis,
Limes honeſti, qua parte ſitus. [o]

2. Ma-

k *l. ult in 2. ff. quod vi.* l *Inſt. de juſt. & jure Sect. juris 4.* m *Cic. lib. 2. Academ. quæſt.* n *Id. lib. 3. de off.* o *Eurip. Iphig. in Aulid.*

2. Maximè verò in omnibus noſtris actionibus honeſti ratio habenda eſt, unde & ſubinde jungi videmus *æquitatis & honeſti rationem*[p], Et generalis eſt regula; *ſemper in contractibus non ſolum quid liceat conſiderandum eſt, ſed & quod honeſtum ſit*; [q] idemque & in conjunctionibus locum habet[r]; Et generaliter

Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.[s]

3. Concipitur vero hoc præceptum non affirmativè, ſed etiam negativè, ut nobis ab omni *probro*, & *turpitudine* caveamus, id eſt, ab omnibus iis, quæ *contra mores* fieri dicuntur, qui enim hoc non faciunt *re ipſa, & opinione hominum non effugiunt infamiæ notam.*[t] Adeo ut *nec ignoſcendum ſit ei qui obtentu paupertatis turpem vitam egerit.*[u] Sic *litem redimere contra bonos mores eſt*, & propterea merito ſubjicitur, quod *hujuſmodi officia non ſine reprehenſione ſuſcipiuntur.*[x] Sic ſtipulatio pœnalis, nuptiis adjecta, dicitur *non ſecundum bonos mores interpoſita, quia inhoneſtum viſum eſt vinculo pœnæ matrimonia obſtringi.*[y]

4. Denique quicquid contra bonos mores fit, etiam de jure eſt irritum; hinc *conditiones quæ contra bonos mores inſeruntur, remittendæ, & pro non ſcriptis habendæ ſunt*:[z] Hinc etiam *Pacta quæ contra bonos mores fiunt nullam vim habere, & repellenda eſſe*[a] dicuntur; Et generale eſt præ-

p *l.* 2. *C. nè fiſc. rem lib.* 10. q *l. ſemper* 197. *ff. de reg. jur.* r *l.* 42. *ff. de ritu nupt.* s *Sen. Trag.* t *l.* 2. *in F. ff. de obſ. par.* u *l. palam* 43. *Sect.* 5. *ff. de rit. nupt.* x *l.* 15. *Cod. Procurat.* y *l. Titia* 134. *ff. de verb. oblig.* z *l.* 9. *l.* 14. *ff. de cond. inſtit.* a *l.* 6. *l. fin. C. de pact.*

præstantissimum hoc præstantissimi Papiniani effatum; *Quæ facta laudem pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est*: [a] Plura de hac materia qui desiderat, legat doctissimi Belgæ Anonymi epistolicam dissertationem de Principiis Justi, & Decori. [c] Ubi multa egregia reperiet.

II. *Quid hoc præcepto Homo sibi ipsi debeat.*

II. Sed ut penitius præceptum hoc introspiciamus, videndum, quid ad honestè vivendum homo sibi ipsi debeat, & quid aliis hominibus: Iterum alii isti homines aut generaliter considerantur, aut cum certa aliqua relatione: quæ omnia in sequentibus explicanda veniunt. Et primò quidem *bono sibi ipsi debet, ut secundum virtutem vivat, omnésque suas operationes ità dirigat, ut in iis virtutis veræ radii elucescant*: quod quia forte nimis late patere cuipiam videbitur, nos potiores tantum partes his delibabimus, reliqua ad moralem Philosophiam rejecisse contenti. Homo igitur cum ex anima, & corpore constet, quomodo se circa utrumque habere debeat, considerabimus.

III. *Primo quo ad animam.*

III. Et quidem ut *animam* intus benè constitutam habeat, *ejus tranquillitatem* parare sibi debet homo: ut vero extrinsecas actiones benè dirigat, *prudentiam*.

1. Tranquillitas animæ vel maximè consistit in compescendis, & domandis affectibus, omnibúsque animi perturbationibus, quod quomodo fieri debeat, Philosophi optim

b *l. filius* 15. *ff. decond. inst.* c *Epist. dissert. de Princ. Justi & Decori.*

optime nos docere possunt: imprimis Seneca, & Plutarchus, quorum ego scrinia hic compilare nolo; hoc solum indicabo monitum: *Refrenet primum libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coerceat avaritiam, cæteras animi labes repellat,* [d] Unde & Poëta

—— Pone iræ frena, modumque
Pone & avaritiæ. [e]

Et alius quæri jubet

Quid purè tranquillet, bonos, an dulce lucellum
An secretum iter, & fallentis semita vitæ. [f]

Ad res gerendas *Prudentia* maximum affert momentum, nam *fieri non potest, ut quisquam verè probus sine prudentia audiat.* [g] Et ut breviter dicam, *Ars vivendi est prudentia, ut medicina valetudinis;* [h] Quanti ea facienda sit, vel ex hoc Servatoris nostri præcepto patet: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* [i] Vocatur hæc & alio nomine *sapientia* (neq; enim hic scrupulosam vocum distinctionem moramur) de qua sic Satyricus

Paulatim vitia, atq; errores exuit omnes,
Prima, docens rectum, sapientia. [k]

Quæ optime periculo alieno addisci potest, unde Comicus

Periclum ex aliis facito, tibi quod ex usu fiet. [l]

Et

d *Cicero Paradox.* e *Juvenal. Satyr. VIII.* f *Horat. 1. Epist. 18.* g *Aristot. VI. Ethic. cap. 5.* h *Cic. V. de finib.* i *Matth. cap. X. v. 16.* k *Juven. Sat. 13.* l *Terent. Heautont.*

Et alius : *Ex vitio alterius sapiens emendatur suum.* m

Sed & de hac plura nobis & meliora suppeditat sacer Codex, & præcipuè in Proverbiis Salomonis. n

IV. *Quo ad corpus ipsum.*

IV. *Corpus* ipsum quod attinet, in eo curando non debet esse nimius ; ideóque *in victu* debet esse *sobrius, in voluptatibus temperans*, & sic deinceps.

1. *Sobrietatem* quod attinet, hanc ipsa commendat natura, cum ea pauciſſimis ſit contenta, & ſuperflua non affectet, Cavendum igitur à duobus maximè vitiis *gula*, & *crapula* ; Vituperandi igitur illi

——Qui guſtus elementa per omnia quærunt
Nunquam animo pretiis obſtantibus. o

Quin tu, quiſquis es
Accipe nunc victus tenuis, quæ, quantáque ſecum
Afferat, imprimis valeas benè. p

Sin corpus nimium oneraveris, cave, nè
——Corpus onuſtum
Heſternis vitiis animum quoque prægravet una. q

Crapulam vero omnem ut fugias, audi eundem Poëtam

Quid non ebrietas deſignat : operta recludit,
Spes jubet eſſe ratas, in prælia trudit inermem. r

Et perpetuo hoc tibi Comici infixum menti maneat

Non

m Publ. Mim. n Proverb. cap. I. II. III. IV. o Juven. Satyr. XI. p Horat. II. ſerm. 2. q Horat. dicto loco. r Idem lib. 1. Epiſt. 5.

Non vinum hominibus moderari, sed vino homines solent,
Qui quidem probi sunt. [t]

Utrumque conjungit Martialis

Convictus facilis, sine arte mensa,
Nox non ebria, sed soluta curis. [u]

2. *Voluptates* verò quod attinet, multa nos ab iis deterrent, hinc illud

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas. [v]

Neque minus scitum hoc:

Effugere cupiditatem, regnum est vincere. [x]

Imprimis cogita quam ea sit non sincera,

Usque adeo nulla est sincera voluptas,
Sollicitumque aliquid lætis intervenit. [y]

Tum etiam quam ea sit fluxa, & mutabilis,

Dolor & voluptas invicem cedunt, brevior voluptas [z].

V. Hæc, & similia sunt, quæ homo sibi ipsi debet, ut honestè vivere dicatur; Cæterum, cùm & *quædam sit voluptas omnino licita*, consistens in ea consociatione, quæ inter virum & fœminam est, quam nos *matrimonium* appellamus, & vel maximè ad honestatem vitæ pertinens, res ipsa postulare videtur, ut & de ea hìc differamus. *Est autem ea cohabitatio maris & fœminæ, quæ eam constituit quasi sub oculis, & custodia maris,* [a] ad quam ineundam Natura non tantum jus dat, atque ita eam facit juris naturalis concessivi, sed etiam instigat,

V. *Unde Jus matrimonii.*

G imo

s *Plaut. Truculent.* t *Martial. libr. X. Epigr.* 47. u *Horat. lib. 1. Epist. 2.* x *Publ. Mim.* y *Ovid. lib. 7. Metam.* z *Sen. Thyest.* a *Hug. Grot. de jure belli lib. 2. cap. 5. Sect. 8.*

imo & acribus stimulis impellit; utpote sine qua propagatio generis humani non rectè procedit. Nam Venus vaga sive scortatio, revera non est ordinata ad conceptionem prolis, ab ea enim, quæ sunt prostitutæ pudicitiæ, vel maximè abhorrent.

VI. *An monogamia tantum jure naturali præcipiatur.*

VI. Sed quæritur an juris naturalis præceptivi sit, ut vir unâ tantum uxore debeat esse contentus; Nos sicut id Christi legibus, quæ majorem quam lex naturæ postulant sanctimoniam, convenire credimus; Ità ad jus naturæ præceptivum pertinere, negandum putamus. Extant enim eorum exempla, tam in mundi prioris incolis, ut Lamecho: [b] quam in iis, qui paulo post diluvium vixerunt, ut Abrahamo, [c] qui binas uxores, aut certè uxorem, & concubinam, uno tempore habuerunt. Imo & ipsa Mosis lex hoc ipsum ut licitum præsupponit: [d] Cumque in rege vetet magnum uxorum numerum, [e] certè plures unâ ei concedit. Idem ex historiâ Davidis palam fit, quem Deus nunquam corripi jussit, ob plures quas habuit uxores; Immo verò hoc ipsum ei etiam pro beneficio imputavit. [f] Magis tamen placuisse Deo unius uxoris conjunctionem, vel facto probavit, cum Adæ unam tantum uxorem attribuit. [g] Neque ideo tamen *Polygamia* ex sui naturâ habere videtur talem turpitudinem, ut conscientiam hominum in contrarium obligare valeat. Reperiuntur tamen & nonnulla

b *Gen. cap.* 4. *v.* 19. c *ibid. cap.* 17. *v.* 17. d *Deut. cap.* 21. *v.* 15. e *ibid. cap.* 17. *v.* 17. f 2 *Sam. cap.* 12. *v.* 8. g *Genes. cap.* 2. *v.* 24.

nulla apud Ethnicos loca, quæ *Monogamiæ* favent, hinc illud in Tragœdia Græca

— Non etenim decet
Unum imperare fœminis geminis virum [g];
Contentus uno conjugis vivat thoro
Quicunque cupiet ritè curatam domum [h].

& idem alibi, *Nunquam gemina de Matre genus,*
Nunquã duplices laudabo thoros,
Unam debet non ambigui
Vir participem nosse cubilis. [i]

Sed nimirum ea consilii magis sunt, quam præcepti.

VII. Succedit huic alia de *repudio* quæstio, quod, cum per legem Mosis permissum fuerit, quomodo id cum jure naturali conveniat, disquirere, operæ pretium videtur. Et quidem si ponamus conjuges ultro citróque fidem interposuisse, de conservanda ad mortem usque societate conjugali, vix est ut, extra adulterium, id dissolvi possit. Nobis itaque magis arridet ea sententia, quæ pactum de ineundo matrimonio, ità intelligit, ut ei stetur, donec aut mutuus, aut alterutrius dissensus intervenerit. Et de mutuo quidem dissensu res clara est, cum is etiam in aliis contractibus locum habeat, per regulam dictantem, *Nihil tam naturale esse, quam de eo genere quidque dissolvi, quo colligatum est.* [k] De alterius vero dissensu, exemplum habemus

VII. *An repudium cum jure naturali conveniat*

h *Eurip. in Trag. Androm.* i *Ibid. in Choro.* k *L. nihil tam 35. ff. de reg. juris.*

& in contractibus, qui de jure civili innominati vocantur: ‡ & in desponsatione minorum, ubi pœnitentia locum habet. Qua conditione ità posita, potuit lex Hebræa fœminam quidem libertate repudii, quæ ei naturaliter competebat, privare, viro vero, in eâ exercendâ, legem dare, atque ità ei actui legem ponere, pro Dei beneplacito.

CAPUT X.

De officiis erga alios relatè consideratos.

Quid Homo aliis debeat, unde varia officia.

I. I. VIdimus, quid homo ad honestè vivendum sibi debeat, nunc quid aliis debeat videamus; & hæc quidem sunt, quæ Cicero aliique *officia* vocant. Quid debeat, supra pro nostro instituto satis explicavimus: [m] Sed cum multæ inter homines inveniantur relationes, quarum respectu officia etiam variant, de iis particulariter aliquid disserendum, ità tamen ut potiores tantum partes sectaturi simus, nè in nimiam molem excrescat opusculum. Cumque de matrimonio priore capite aliquatenus egerimus, consequens esse videtur, ut jam *de mutuis inter virum, & uxorem officiis* tractatum instituamus, quæ in eo præcipuè consistunt, ut marito jus, & imperi-

um

‡ *L. naturalis 5. ff. de præscr. verb.* [m] *S. cap. 8.*

um sit in uxorem, uxor obedientiam, & auxilium marito debeat: alter vero alterum mutuo amore prosequi teneantur. II.

II. Mariti jus in uxorem, etsi imperium quoque comprehendat, unde & Sara maritum *Dominum* vocavit, [n] non tamen id herile, aut herili simile esse, quisquam existimet, est enim longè lenius, quale est capitis in reliqua membra, & magis suadendo, quam absolutè jubendo exerceri solet. *Est* igitur *maritus uxoris caput, nempe in rebus conjugii, & in rebus familiæ, nam uxor pars sit familiæ maritalis, ideo de domicilio constituere, jus est marito,* [o] cui etiam rationi innititur edictum Assueri, quod per omnes Regni Persici Provincias promulgari jussit; *esse viros Principes, ac majores in domibus suis,* idque in eum finem, *ut cunctæ uxores, tam majorum quam minorum, deferrent maritis suis honorem.* [p] Omnino autem cavere sibi maritus debet, nè in uxorem durior sit, hoc enim Apostolus Paulus vetat dicens: *Viri diligite uxores, & nolite amari esse ad illas* [q]. Et Petrus, *cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem.* [r] *Mariti jus quale.* II.

III. De obedientia, quam uxores viris debent, res etiam clara est, *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut domino*, ait Paulus, & rationem subdit, *quoniam vir caput est mulieris.* [s] & iterum alibi, *Mulieres subditæ* III. *Obedientia uxorum qualis.*

n *Genes. cap.* 18. *v.* 12. o *H. Grot. de jure bell. lib.* 11, *cap.* 5. *Sect.* 8. p *Esther. cap.* 1. *v.* 20, 21. q *Epist. ad Colos. cap.* 3. *v.* 19. r 1 *Petr.* 3. *v.* 7. s *Epist. ad Ephes. cap.* 5. *v.* 22.

re æstote viris, sicut oportet in Domino. [t] Hinc egregiè Chrysostomus, meritò viro fœmina subjicitur, nam æqualitas honoris pugnam parit. [u] De auxilio verò, quod uxor viro præstare debet, patet ex ipso formationis fine; Est enim prima fœmina in adjutorium viri creata; [x] hinc Poëta Græcus

Quære adjuvamen rebus uxorem tuis. [y]

& iterum, *Honesta mulier est gubernaculum domus.* [z]

IV. *Amor inter conjuges qualis.*

IV. Amorem vero inter virum, & uxorem debere esse mutuum, vel illud docet, quod *duo sunt in carne una.* [a] Quem locum explicans Apostolus scribit; *Viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua: qui uxorem suam diligit, se ipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit.* [b] Et paulo post, *unusquisque uxorem suam sicut se ipsum diligat, uxor autem timeat virum suum.* [c] Et alibi: *Viri diligite uxores vestras.* [d] In eundem fere sensum loquitur & Chrysostomus: *Secunda potestas est Mulier, neque ergo ipsa æquum sibi jus vindicet, (sub capite enim est) nec eam, quod subdita sibi est, contemnat Maritus, corpus enim est.* [e]

V. *Parentum jus Imperii*

V. Nunc ad alteram speciem relationis accedamus, quæ est inter *parentes* & liberos. *Parentes* igitur *habent jus Imperii, &* Coër-

t dicta Epist. ad Colossens. cap. 3. v. 18. u Chrys. 1. ad Cor. cap. 11. v. 3. x Gen. cap 2. v. 20. y incert. auct. z incert. auct. a Gen. cap. 2. v. 24. b Epist. ad Eph. dicto cap. 5. v. 28, 29. c Ibid. v. 33. d Epist. ad Colossens. dicto cap. 3. v. 19. e Chrys. Epist. ad Ephes. cap. 4.

Coercitionis etiam *in liberos*; Debet autem hoc Imperium cum moderatione exerceri: *Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina, & correptione domini.* [f] Et alibi: *Patres nolite ad indignationem provocare filios, ut non pusillo animo fiant.* [g] Ità tamen Imperii hujus ratio constat, ut *primæ partes sint patris, secundæ matris* [h]. Unde rectè Augustinus: *Filius ex legitimis nuptiis susceptus, magis in patris quam in matris est potestate.* [i] Et quidem *primo tempore, cum liberi imperfecti sunt judicii, omnes eorum actiones subsunt Imperio Parentum. Est enim naturali juri conveniens, ut is qui perfectæ ætatis non sit, alterius tutela regatur.* [k] Neque naturaliter alius inveniri potest, cui id regimen competat, præter Parentes; *Postquam autem maturuit judicium, eæ sola actiones sub ipsorum Imperio sunt, quæ ad familiæ statum momentum aliquod afferunt. Cum autem Filius ex familia excesserit, omnimodo sui juris fit, manente tamen semper pietatis, & reverentiæ debito.* [l]

& coercitionis in liberos quale.

VI. Quæri hic potest *an Patri oppignorandi, aut etiam vendendi Filii, jus sit*, quod nos, necessitatis tempore, de jure naturæ licitum putamus. *Tenetur* quidem *Pater Filium alere*, nam qui causa est ut homo existat, curare etiam debet, ut subsistat, quod etiam in animalibus reliquis videre est. [m] Hinc Justinianus: *Ipse naturalis*

VI. *An Patri oppignorandi aut etiam vendendi filii jus sit.*

f *Epist. ad Ephes. cap. 6. v. 4.* g *Epist. ad Coloss. cap. 3. v. 20.* h *Sen. contr. libr. 3. contr. 19.* i *August. Epist. 191.* k *Sect. 7. instit. de Attil. Tut.* l *H. Grot. de jur. bell. lib. 11. cap. 5 Sect. 2. 3. 6.* m *L. 1. Sect. 3. ff. de just & jure.*

lis stimulus Parentes ad Liberorum suorum educationem hortatur. [n] Et alibi: *Ipsum Filium, vel Filiam, & deinceps, alere Patri necesse est, propter ipsam naturam.* [o] Si tamen ipse in talem inciderit indigentiam, ut neque se, neque Liberos alere amplius possit, non injustum est, ut ab ipsis sumat, unde se suósque sustentare valeat: *Satius enim est ingenuitatem perire, quam vitam,* [p] ut id pluribus prosequitur auctor Commentarii de Jure Belli & Pacis. [q]

VII. *An jus vitæ & necis parentibus competat.*

VII. Diximus *Parentibus etiam Coercitionem in Liberos competere*; quid jam *de jure vitæ, & necis* dicemus? Scimus quid ea de re & Laconum, & Romanorum leges statuerint, sed nos de jure naturæ quæstionem instituimus, quæ homini in hominem tantum juris dedisse non videtur, præsertim post constituta judicia; Potius igitur est, ut dictas leges impunitatem tantum, in hac facti specie, concessisse putemus.

VIII. *An Patris consensus ad nuptias filii sit necessarius.*

VIII. Nobilis est & illa quæstio, *an Patris consensus ad nuptias Filii, adeo sit necessarius, ut propter ejus defectum, omnino irritum fiat matrimonium*; quod nos ut puta nimis durum, negandum putamus; Etsi enim contra officium suum faciat Filius, qui in tam ardua re consensum Patris non impetraverit, non tamen ideo statim irrritum fit, quod de se, ipse constituit; quid enim si Pater requisitus consensum nullá ratione negaverit? Sed & hæc latius explicantur in dicto commentario. [r]

IX. Of-

n *L. unic. Sect. taceat 5. vers. sileat C. de rer. uxor. act.* o *l. fin. Sect. 5. C. de bon. q. l.* p *Fernand. Hist. Goth.* q *H. Grot. dicto cap. 5. Sect. 5.* r *dicto cap. 5. Sect. 10.*

IX. Officium Liberorum erga Parentes in *obedientia, honore, & timore*, ſive *reverentia*, conſiſtit; Et de *obedientia* quidem & *honore* audi præceptum juri naturali conveniens: *Filii obedite Parentibus veſtris in Domino, hoc enim juſtum eſt.* [r] *Honora Patrem tuum, & matrem tuam (quod eſt mandatum primum in promiſſione) ut bene ſit tibi, & ſis longævus ſupra terram.* [s] De timore vero, audi ipſum Deum: *Unusquiſque Patrem ſuum, & Matrem ſuam timeat.* [t] Obedientiæ erga Parentes inſigne habemus exemplum in Rechabitis, quibus cum Pater Jonadab præcepiſſet, *ne biberent vinum cunctis diebus ſuis, obedientes fuerunt juxta omnia quæ præceperat Pater*, quod adeo gratum fuit Deo, ut etiam id præmio remunerare dignatus ſit. [x]

IX. *Officium Liberorum erga Parentes in quibus conſiſtat.*

X. Ut vero ſciamus qua in re *honor*, & *timor parentum* conſiſtat, docent id nos optime Maimonides, & Gemara Babylonica, ex diſciplina Hebræorum his verbis, *Diſcrimen inter honorem & timorem, ſeu reverentiam Patris hujuſmodi eſt, ut ex reverentia Filius non ſtet in loco ejus, ſeu locum ei aſſuetum ſtando occupet: nec in loco ei aſſueto ſedeat, nec ſententiæ ejus refragetur, nec eam refutet, nec eum nomine ſuo appellet, ſive ſuperſtitem, ſive mortuum, ſed in eum modum loquatur, Abba, ſeu Pater Dominus meus. Honor* vero in eo conſiſtit, ut cibum & potum ei ſubminiſtret Filius, uti & veſtitum, *ex eo ſcilicet quod Patris eſt, ſeu ex bonis paternis, quibus ſi careret, cogendus*

X. *Honor & timor parentum qua in re ſpeciatim conſiſtant*

r Epiſt. ad Epheſ. cap. 6. v. 1. 2. 3. s Exod. cap 20. v. 12.
t Levit. cap. 19. v. 3. x Jerem. cap. 35. v. 6. & ſeqq.

cogendus erat Filius, si ipsi bona essent, ut utrumque uleret parentem, in quantum posset. [y] Quod Jurisconsulti nostri sic efferunt, *pietatis ratio in parentes constare debet.* [z] Item, *filio semper honesta & sancta persona patris videri debet.* [a] Et iterum, *reverentiam debitam exhibere matri filios præses coget.* [b] Quorum omnium ratio à Græcis hoc modo redditur

Numen parentes maximum prudentibus.

Item: *Tu tibi parentes alteros credas Deos.* [c]

Nec ignota illis promissio huic præcepto adhærens, hinc illud

Quisquis parentes benè colet, sperei benè.

Et hoc: *Senes parentes qui fovet, vivet benè.* [d]

XI. *Relatio inter tutorem & pupillum quo fundamento nitatur.*

XI. Est & tertia relationis species priori omnino similis, quæ consistit *inter tutorem & pupillum*. Cum enim sæpissimè accideret parentes secundum ordinem mortalitatis obire, relictis liberis, aut infantibus, aut certè pupillis, atque ipsi, propter lubricum ætatis, se ipsos regere, aut rebus suis superesse non possent, ineunda fuit alia via, qua ipsis consuleretur. Cumque secundum tritum proloquium *Deus & Natura non deficiant in necessariis*, inventa est *Tutela, quæ est vis ac potestas in capite libero, ad tuendum eum qui per ætatem se defendere nequit.* [e]

Neque

y *Seld. de Jur. Naturæ lib. 7. c 2.* z *L. 1. de obseq. parent.* a *L. 9. ff. eod. tit.* b *L. congruentius. 4. C. de patr. potest.* c *Incert. auct.* d *Incert. auct.* e *Sect. Est autem. 2. Instit. de Tutel.*

Neque ex ea tutela exire pupillus potest, nisi per ætatem ipse se possit defendere, quod tempus naturaliter non est definitum, atque ideo per leges positivas definiendum mansit: Distinctio quoque inter *tutelam* & *curam* de jure naturæ est incognita.

XII. Officium *tutorum* consistit *in defendenda persona pupilli, & administrandis ejus bonis*: Personam quod attinet, *debet tutor consilio & opera tueri non solum patrimonium, sed & corpus & salutem pupilli* [f], morum quoque curam habere debet; *Cum tutor non rebus duntaxat, sed etiam moribus pupilli præponatur* [g]. Tenetur & pupillum defendere, & judicium ejus nomine suscipere; *Tutoris enim præcipuum est officium, ne indefensum pupillum relinquat* [h], unde & hoc *Munus necessarium* appellatur. [i] Ad administrationem vero bonorum pertinet, quod tutor, *quantum ad providentiam pupillarem, domini loco haberi debet.* [k] Denique in his aliisque *partibus suis fungi debet, non quidem præcipiti festinatione, sed nec moratoria cunctatione.* [l] *quin & bonam fidem agnoscere potest,* [m] *& bona fide pecuniam erogare.* [n] Reliqua satis trita & obvia sunt.

XII. *Officium tutorum in quibus consistat.*

XIII. Officium vero *pupillorum* erga *tutores*, idem fere est, quod adversus parentes, in quorum locum ipsi quodammodo succedunt. Debent igitur pupilli tutoribus suis *obedientiam, honorem, & reverentiam*, non tamen

XIII. *Officium pupillorum item qua in re consistat.*

f *L. Consilio 7. ff. de Curat. fur.* g *L. cum plures. 12. Sect. 3. ff. de adm. tut.* h *L. tutoris. 30. ff. d. tit.* i *L. 68. C. eod. tit.* k *L. Tutor. 28. ff. eod. tit L. 56. Sect. 4. ff. de furt.* l *L. Tutor. 7. Sect. 1. ff. de adm. Tutel.* m *L. quæsitum. 9. Sect. 6. ff. eod. tit.* n *L. 3. C. eod. tit.*

tamen in eodem gradu, quo parentibus; sed aliquantum minore.

XIV. *Relatio inter Dominum & Servum quo jure & fundamento nitatur.*

XIV. Quarta, & ultima, de quâ hic acturi sumus, est relatio *inter dominum & servum*: quomodo servus quis fiat supra attigimus, cum de libertate amittenda egimus [o], quare his amplius non immorabimur, hoc tantum adjecto, quod *servi plerunq; aut fiunt per captivitatem, aut nascuntur ex ancillis nostris* [p], & quod *omne id quod servus acquirit, domino acquirit* [q].

XV. *Officium Dominorum quale sit.*

XV. Officium *Dominorum in servos* vix potest aliquibus cancellis circumscribi, cum nihil fere in servum non liceat: Sed notandum tamen; *Dominorum quidem potestatem in servos suos illibatam esse oportere, nec cuiquam hominum jus suum detrahi: sed dominorum interesse, nè auxilium contra sævitiam iis denegetur* [r]. unde & Apostolus asperitatem, & duritiem omnem dominorum prohibet, dum vult *remitti minas*, & *considerari & Dominorum, & servorum Dominum esse in cœlis, & apud eum non esse acceptionem personarum* [s].

XVI. *Item servorum erga Dominos.*

XVI. De officio *servorum erga Dominos* plura possent afferri, sed quia apud nos servitus est incognita, pauca tantum delibabimus, sic ergo hac de re loquitur Paulus Apostolus: *Servi obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum, quodcunq; facitis Domino operamini, & non hominibus.* Et

o *Supra cap.* 7 *Sect.* 5. & 7. p *L. servorum.* 5. *Sect.* 1. *ff. de stat. hom.* q *L.* 1. *Sect.* 1. *ff. de his qui sunt sui vel alieni juris.* r *L.* 2. *ff. eod. tit.* s *Ephes. c.* 6. *v.* 9. t *Epist. ad Colos. c.* 3. *vers.* 22. 23.

Et alibi jubet *ſervos Dominis ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, ſed in omnibus bonam fidem oſtendentes.* [u] Et Petrus teſtatur, *id intelligendum, non tantum de dominis bonis & modeſtis, ſed etiam de dyſcolis*, id eſt de durioribus & aſperioribus. [x]

CAPUT XI.

De Homicidio, & Corporis Læſione.

I. ABſolvimus primum, de honeſtate vitæ, præceptum, nunc ad ſecundum, *de altero non lædendo* accingimur, quod cum latè admodum pateat, diſtinctione aliqua opus eſt; Sciendum itaque *læſionem*, de qua hic agere inſtituimus, *conſiſtere aut in factis, aut in verbis*; *De factis*, utpote quæ gravius nocent, primo agemus, eaque verſantur vel circa alterius vitam, ut ſunt homicidia, aut circa partem corporis, ut ſunt adulteria, aut circa bona alterius, ut ſunt furta, aliáque damna illata. I. *Alterum lædere quot modis contingat.*

II. Neque longè arceſſenda eſt cauſa, cur ab his abſtinere natura nos velit, adverſantur enim ea omnia humanæ ſocietati, ad quam conſervandam hominem aſpirare debere, res apertiſſima eſt, ideóque ab omnibus iis cavendum, quibus illa ſocietas ullatenus turbari poteſt, & *cum inter nos cogna-* II. *Cur ab his abſtinendum.*

[u] *Epiſt. ad Tit. c. 2. verſ. 9. & 10.* [x] *1 Petr. c. 2. verſ. 18.*

cognationem quandam natura constituit, consequens est hominem homini insidiari nefas esse. y Accedit, quod omnia hæc delicta directè adversantur charitati, & primo isti principio, negativè concepto, *Quod tibi fieri non vis, alteri nè feceris*, aut ut in concilio Apostolorum quidam Codices legunt; *Quæ vobis fieri nolitis, aliis nè feceritis.* z Quam sententiam Imperator Alexander Severus, à Christianis fortè acceptam, ità amavit, ut & in Palatio, & in publicis operibus eam præscribi jusserit. a In eundem sensum & olim dictum: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide nè tu aliquando alteri facias.* b

III. *Homicidium quid denotet.*

III. Propius nunc accedendo ad præceptum, quod Hebræi *de homicidio* vocant; ipsa nos vox docet, *hominis cædem* hîc prohiberi; cujus delicti injustitia vel indè elucescit, quod Deus privetur principe creaturâ, à se ad similitudinem sui condita; Respublica cive, familia, vel capite, vel membro; deinde, quod occidens sumat jus in vitam alterius, in quam jus nullum habet, & quæ etiam in statu communionis bonorum, propria cujusq; fuit: quodq; occiso eripit summum Dei beneficium, quod ei restituere neutiquam potest.

IV. *Quam cædem.*

IV. Cum *cædem* dicimus, satis intelligi potest nos hic de vitæ privatione, id est, de morte inferenda agere, quæ si re ipsa non sequitur, consequens est præceptum hoc prohibitivum locum non habere. Constat autem in Decalogo duobus his tantum verbis: *Non*

y *L. ut vim 3 ff. de just. & jur.* z *Actor. cap. 15. v. 29.*
a *Lampr. in vit. Sev.* b *Tob. cap. 4. v. 16.*

Non occides: quæ verba ſola ſi quis putet totam naturæ legem circa hoc negotium complecti, næ is, meo quidem judicio, graviſſimè errat. Lex enim naturæ nunquam ſcripto fuit comprehenſa, ſed tantum mentibus inſixa; qui igitur naturæ vocem audire vult, is præceptum hoc cum omnibus ſuis conditionibus, ampliationibus, limitationibus, & circumſtantiis, ut & ante monuimus, ſumere debet, quarum præcipuas nos, per modum ampliationis, & exceptionis, infra proponemus.

V. Continet igitur hoc præceptum non modo *homicidium deliberatum*, quod fere quatuor modis committitur, 1. *Ex propoſito*, id eſt, ex prævia animi deliberatione, interficiendi aliquem, jam ante concepta. 2. *Ex inſidiis*, quando aliquis exſpectat alium, animo occidendi, poſitus in loco, qui ab ipſo veriſimiliter prævideri non poteſt, eumque ex improviſo aggreditur, & interficit. 3. *Proditorie*, quando quis alium occidit nulla præcedente inimicitiâ, ejuſve ſignis. 4. *Per aſſaſſinium*, quando id fit per conductos homines, mercede interveniente [c]. Verum etiam homicidium ſimplex, quod iis qualitatibus caret, utpote cum homo per iracundiam, aut aliam mentis perturbationem, homini vitam eripit.

V. *Præceptū de non occidendo quid contineat.*

VI. Mortem utique naturalem intervenire debere, ſatis declarat vel ſola vox cædis, vel occiſionis: quid igitur ſtatuemus *de conatu proximo ad inferendam eadem*, quatenus is peccatum involvat. Nos diſtinguendum putamus, an ullus inde effectus ſit ſecu-

VI. *Mortem naturalem hic intervenire debere.*

[c] *Clar. Sect. homicidium N.* 8. 9. 10. 11.

secutus, an non; si effectus indè aliquis sit secutus, ut puta si ille, qui alium occidere conatus est, eum aliquo modo læserit, non quidem in verum homicidii crimen incidit, peccat tamen in eam speciem læsionis, quæ ex eo actu sequuta est, de qua postea; sin vero nullus omnino effectus, aut læsio, indè processerit, in judicio quidem civili pœnam fortè effugiet, [d] quia illic *cogitationis pœnam nemo patitur.* [e] In foro autem Dei, & conscientiæ nihilominus reus est, non quidem perpetrati, sed attentati criminis, animus enim est qui peccavit, occidere volendo, atque ideo à legis naturalis vinculo non est immunis; juxta illud

Hæc patitur pœnas peccandi sola voluntas.
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet. [f]

Hinc Seneca; *Latro est, etiam antequam manus inquinet: quia ad occidendum jam armatus est, & habet spoliandi, & interficiendi voluntatem.* [g] Et Philo, *Homicidas existimari oportet, non eos solum qui vitam adimunt, sed etiam eos qui omnia faciunt palam aut clam, ut quenquam interimant, etiamsi facinus nondum commiserint.* [h]

VII. *Qui hîc nomine hominis intelligendi.*

VII. Homicidium cum dicimus, palam est nos hîc non de cæde alicujus animalis agere, sed *de cæde hominis*, atque ità exponenda verba Decalogi, quorum ea mens est, licet verbis destituamur; *hominis* autem appelli-

d *Clar. id dicto Sect. N. 74. & Sect. fin. quæst. 92.* e *L. cogitationis 18. ff. de pœnis.* f *Juven. Satyr. 13.* g *Sen. de benefic. lib. 5. cap 14.* h *Philo. lib. 1. de spec. leg.*

pellatione etiam *infantes* veniunt, & *fœtus* qui in utero est, dummodo infans sit formatus; ideóque *de homicidio etiam tenetur, qui infantem occiderit, aut abortum mulieris procuraverit.* [i] Si tamen fœtus conceptus, vivus ex utero matris extrahi non potest, sine certo puerperæ discrimine, potius matri viventi, quam proli nondum natæ, parcendum est: ex ea lege, quæ aliquando minus malum sub ratione boni considerat. Sed neque tunc abortivum poculum, apud moratiores gentes, dari consuevit, nisi ex auctoritate publicâ, ad id impetratâ, & tunc hæc occisionis species in aliam classem incidit, de quâ statim dabitur dicendi locus.

VIII. Quæri hîc jam potest, quid de iis judicandum sit, qui infantes recens natos exponunt? nos eandem distinctionem, quam supra adhibuimus, etiam hîc repetendam censemus, nempe si infans expositus obierit, expositionis auctorem esse homicidii reum; nam qui occasionem, & causam mortis dedit, ille & mortem inflixisse videtur, *Et nihil interest occidat quis, an causam mortis præbeat.* [k] Sin vero mors non sit secuta, pertinet hoc ad aliud genus peccati, quod mox explicabimus, neque eo minus tamen quis in legem naturæ committit.

VIII. *Quid de iis judicandum, qui infantes recens natos exponunt.*

IX. *It. quid de eo qui mandavit alteri ut Hominem interficeret.*

IX. Idem dicendum & in eo casu, quo aliquis hominem occidi alteri mandavit, cum ad id mandatum mors sequuta est, tunc enim *& mandans, & mandatarius pariter*

i *L. Si quis aliquid 38. Sect. qui abortionis 5 ff. de pœn. summa Sylv. in verbo. homicidium in pr.* k *L. nihil interest 15. ff. ad leg. Corn. de Sicar.*

riter deliquisse censendi sunt. [l] *Mandator enim cædis pro homicida habetur.* [m] *Et is committit verè cujus mandato delictum committi probatur.* [n] Est enim & in hac materiâ verum, *quod quis per alium facit ipse facere videtur.* [o] Et ratio est, *quia parvi referre visum est, suis manibus quis faciat, an verò per alium?* Sed non propterea immunis est, qui mandato alterius cædem patravit, *non enim excusatus est, qui jussu alicujus occidit.* [q]

X. *It. de iis Qui sibi ipsis violentas manus inferunt.*

X. Restat & hoc examinare, an sub præcepto non occidendi comprehendantur & illi, qui sibi ipsis violentas manus inferunt, quod nos & supra asseruimus, [r] & hîc asserere non dubitamus. [s] Egregium hac de re locum, quamvis satis magnum, adscribere operæ pretium duxi, quia omnia fere effugia præcidit: *Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales, nè incidat in perpetuas. Neminem propter aliena peccata, nè hoc ipso incipiat habere gravissimum proprium, quem non polluebat alienum. Neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magis hac vitâ opus est, ut possint pœnitendo sanari. Neminem velut desiderio vitæ melioris, quæ post mortem speratur, quia reos sua mortis melior post mortem vita non suscipit.* [t]

XI. Et

l *Summa Silv. in dicto verbo homicidium N. 7.* m *dicto l. 15. Sect. 1. ff. ad l Corn. de Sic.* n *C. Muheres 6. Sect. 1. de sent. excomm. ibique Gloss.* o *L. ita autem 5. Sect. 3. ff. de adm. Tut. l. si quis 7. Sect. fin. ff. de jurisd. omn. jud.* p *L. 1. Sect. 14. ff. de vi. & vi arm. l. 152. Sect. 1. ff. de reg. jur.* q *dicta l 1. Sect. 13.* r *Supra cap. 7. Sect. 2. & 4.* s *Summa Silv. in dicto verbo homicidium N. 1.* t *August. de civit. Dei cap. 26.*

XI. Et hæc quidem pro ampliatione impropriè dicta sufficiant: nunc ad ea, quæ exceptionem sapere videntur descendamus, quæ quatuor fere Capitibus constant. Horum primum est: *Nisi homicidium fiat omnino casualiter, sive involuntariè.* Cum enim animus & propositum delicta constituant, consequens est contra legem naturæ non peccare eum, qui nullatenus voluntatem occidendi habuit. *Peccatum enim non est nisi quatenus voluntarium,* [u] Et *casus, est causa præter intentionem agentis,* [x] atque ita nihil habet voluntarii; sed ut quid propriè dicatur *casuale*, oportet duo hæc concurrant: Primò, ut quis operam det rei licitæ; Secundò ut eam, quam debet, adhibeat diligentiam [y]. Quibus conditionibus positis de casu fortuito nemo tenetur; E contra verò, qui operam dat rei illicitæ, etiamsi adhibeat omnem diligentiam & qui operam dat rei licitæ, si non adhibeat debitam diligentiam utrique de casu fortuito tenebitur.

XI. *Præcepti hujus de non occidendo limitationes, quatuor.* *Prima hîc.*

XII. Altera limitationis species est, *Nisi quis à Deo ad id expressim habuerit mandatum.* Cum enim Deus auctor vitæ, summum in omnes homines vitæ necisque habeat Imperium, potest ille (quemadmodum fame, peste, & alio mortalitatis genere homines è vita tollere) ita & Angelis suis, aut etiam certis hominibus mandare, ut aliquos, aut aliquem è medio tollant: cujus mandati in Abrahamo exemplum est, [z] qui jus-

XII. *Secunda limitatio.*

u *August. contra Faust.* x *Arist. Physic.* 2. y *Summa Silv. in verbo. homicidium Sect. pars. 1a pr.* z *Gen. cap. 22. v. 2.*

sus à Deo Isaacum, Filium unigenitum immolare, omnia, quæ in ipso erant, fecit, ut ejus voluntas impleretur, atque eo facto benedictionem Dei consecutus est. [a] Est & aliud exemplum in Levitis, qui mandato Dei per Mosen ipsis patefacto, ex Israëlitis, qui in adorando vitulo aureo peccaverant, triginta millia hominum occiderunt, *quos consecrasse manus suas Domino, ut ipsis detur benedictio*, Moses pronunciavit. [b]

XIII. *Tertia limitatio.*

XIII. Tertia limitatio hæc est: *Nisi quis à Magistratu occidendi aliquem vel aliquos acceperit auctoritatem.* Magistratum cum dico, summam in Republica potestatem intelligo, aut eum, eosque, quibus potestas vitæ, & necis in cives à summa potestate mandata est. Dari talem Reipublicæ, aut qui ei præsunt, potestatem, patet ex iis, quæ supra, [c] de jure circa publica disputavimus: quibus addi debent ea quæ auctor de Jure Belli & Pacis, ad eam materiam pertinentia fusè congessit. [d] Nos tantum unum locum Pauli Apostoli hic allegabimus in quo de potestatibus sublimioribus agens sic loquitur: *Non sine causa gladium portat. Dei enim minister est: Vindex in iram ei qui malum agit,* [e] qua potestate posita addendum est, Magistratum ea licite uti posse, in pœnam, vel per modum belli, vel per modum medicinæ: In pœnam posse facinorosos à Magistratu morte puniri, [f] posse & justè bellum geri adversus eos, qui in Rempublicam

a *dicto cap. 22. v. 16.* b *Exod. cap. 32. v. 29.* c *Supra cap. 6. Sect. 13.* d *Hug. grot. de Jure Belli & Pacis lib. 1. cap. 11. Sect. 7. & passim.* e *Epist. ad Rom. cap. 13. v. 4. & 5.* f *Summa Silv. in dicto verbo homicidium num. 2. Sect. tertium.*

ſicam ſunt injurii, patet ex ſuperioribus: quibus conſequens eſt eos, qui talibus miniſteriis inſerviunt, nequaquam in jus naturæ peccare. Poteſt & Magiſtratus medicis facultatem facere occidendi hominis, qui ſanari nequit, & à cujus vita contagium metuitur, & abigendi fœtus, ut puerpera ſervetur, item amputandi membri, nè pars ſincera trahatur.

XIV. Quarta limitatio eſto: *Niſi quis vitam ſuam defendens, cum moderamine inculpatæ Tutelæ, aggreſſorem occiderit.* Cujus hæc eſt ratio, quod vitæ defenſio naturaliter unicuique conceſſa eſt, ut pluribus ſupra demonſtravimus, [g] neque ulli privato jus eſt in vitam alterius, quare ſi quis in noſtram vitam attentet, jure is à nobis poteſt interfici. [h] Sed imprimis notandum id fieri debere *cum moderamine inculpatæ tutelæ*, neque ejus moderaminis limites excedendos, qui niſi exactè obſerventur, incidit quis in dolum, aut culpam, atque ita ſe peccato obnoxium reddit. *Conſiſtit* autem *moderamen* hoc, *in cauſa, modo, & tempore* [i]. Cauſa moderaminis eſt injuſta offenſio inſultantis, neque enim poteſt juſta eſſe defenſio inſultati, niſi præcedat injuſta offenſio. Modus verò defenſionis in eo conſiſtit, quod propulſatio proportionem habeat ad offenſionem, ſeu periculum mortis imminens; Nec enim defenſio quocunque modo fiat juſta eſt, ſed requiritur, ut eodem mo- XIV. *Quarta limitatio.*

g *Supra cap. 7. Sect. 3.* h *ſumma Silv. in verbo. bellum privatum verſ. 5. & in dicto verbo. homicidium N. 4.* i *Gloſſ. in l. 1. C. unde vi ibique Barth. N. 7. Clar. in dicto Sect. homicidium N. 34.*

do, quo infertur repellatur. Ratione verò temporis; defensio fieri debet in continenti, hoc est, in ipsa concertatione, ne videlicet quis alium ex intervallo, & cum jam ad extraneos actus discessum est, reperçutare præsumat k. Quibus omnibus ritè observatis, qui ità se defendit, homicidii reus non est.

XV. *Quid de corporis humani læsione censendum.*

XV. Restat nunc etiam aliquid dicamus de secunda hujus Capitis parte, nempe *de corporis humani læsione*; sed id pauxillum erit, quia ista pars iisdem fere quibus prior, innititur fundamentis. Cum enim unicuique homini tam licita sit conservatio membrorum, & integritatis totius corporis, quam ipsius vitæ; sequitur indè eandem in utroque casu esse juris dispositionem; idque utrobique peccari in jus naturæ, & utrobique easdem dari ampliationes, & limitationes, ut à nobis hìc vocantur. Quod igitur de delicto deliberato, & simplicè sumpta dictum est, etiam huc applicari debet; distinctio de effectu secuto, aut non secuto, etiam hìc locum habet. Item quæ de expositione infantium, de mandato, de sæviendo in corpus proprium, tractavimus, etiam ad amputationem membri, & læsionem per vulnera, porrigi debet. Denique potest etiam dari casualis læsio, posset & dari mandatum divinum; l Certè mandatum Magistratus in pœnam, locum quotidiè habet in amputatione membri, & læsione corporali; & aliquatenus etiam, quæ de moderamine inculpatæ tutelæ diximus, huc pertinent: quem

k *L. quod est 3. Sect. cum 9. & l. qui possessionem 17. ff. de vi & vi arm.* l *Exod. cap. 21. v. 24. & seq.*

quem enim licet occidere, eum & licet lædere, dummodo utrobique sit præsentaneum vitæ nostræ periculum.

CAPUT XII.

De adulterio, incestu, & scortatione.

I. COmprehendit hoc Caput materiam legis quartæ, earum quas Noachidis datas Hebræi tradunt, quæ vocatur, *De revelatione turpitudinum*, sive, *De turpitudine ex concubitu*; Ejus species primaria est, *Adulterium, quod naturâ turpe*, Ulpianus vocat; [m] hinc illud Isidori: *Quid in omnibus peccatis adulterio gravius.* [n] Etymologiam vocabuli si quærimus, hæc nobis se probat maximè, quod *adulter* & *adultera* dicuntur, *quia & ille ad alteram, & hæc ad alterum se conferunt.* [o] I. *Etymologia Adulterii.*

II. *Adulterium aut est simplex, aut duplex*: & simplex quidem aut ex parte agentis turpitudinem suam trahit, cum maritatus cum soluta se polluit, aut ex parte parientis, cum solutus cum maritata; hujus peccati magnitudo communiter considerati in eo consistit, quod per id dissolvitur unitas carnis per matrimonium introducta, maculatur thorus legitimus, violatur sanctissima II. *Quotuplex sit adulterium.*

m *L. probrum* 41. *ff. de verb. signif.* n *C. quia in omnibus* 16. *caus.* 32. *quæst.* 7. o *Festus.*

ma ſocietas, ſpoliatur conjux eo jure, quod in cõjugis corpus habet, temeratur fides ſolemniter data, & committitur nefaria alieni ſeminis commixtio. Atque ità peccatum hoc ex pluribus peccatis conflatum eſt, habet enim admixtam perfidiam, perjurium, furtum, & ſcortationem; Et perfidiam quidem, quia qui hoc committit, fidem datam frangit; fidem vero non perfunctorie datam, ſed ſolemniter, atque ità quaſi jure jurando vallatam, quod in perjurium cadit; Furtum autem, quia comparem ſuam debito amore, & complexibus fraudat: deniq; & ſcortationem involvit, quæ & ipſa ſuam turpitudinem habet, ut infra latius patebit; Eſt etiam hæc res triſtiſſimi eventus, quia ex adulteriis non tantum rixas, & odia, ſed etiam familiarum everſiones, & regnorum excidia pullulaſſe conſtat. His omnibus accedit in ſecunda ſimplicis adulterii ſpecie, quod uxor pudicitiam ſuam proſternit, alienos marito liberos ſubdit, quæ falſi eſt ſpecies, & totam familiam incerta prole confundit, & dehoneſtat: in duplici vero adulterio hæc omnia duplicantur, cum ex utraque parte æqualis intercedat vitioſitas.

III. *Error quorundam refutatur.*

III. Falluntur igitur quam plurimum, qui adulterium in ſolas Fœminas maritatas cadere putant, aliter Iſidorus, cujus hæc verba: *Non mœchaberis*, id eſt, *nè quiſquam, præter matrimonii ſui fœdera, aliis fœminis miſceatur ad explendam libidinem. Nam ſpecialiter adulterium facit, qui præter ſuam ad alteram accedit.* p Rationem reddit Ambroſius,

p *C. non mœchabe l. 32. quæſt. 5.*

us, ità ſcribens: *Nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem à Viro, quæ ab uxore debetur caſtimonia: quicquid in ea, quæ non ſit legitima uxor, commiſſum fuerit, adulterii crimine damnatur.* q

IV. Hoc peccatum adeò deteſtabile eſt, ut vix ullam admittat exceptionem; ideóque non tantum ipſe actus, ſed etiam conatus legibus humanis quandoque punitur. Sic legimus Cn. Sergio Silo, promiſſorum matrifamiliæ nummorum gratiâ, diem dictum, eumque hoc uno crimine damnatum, *Non enim factum tunc, ſed animus in quæſtionem deductus eſt: pluſque voluiſſe peccare nocuit, quam non peccaſſe profuit.* r Sed quicquid de Legibus humanis ſit, certè illum qui animum adulterandi habuit in legem naturæ peccaſſe dubium non eſt, quod & Triphonius Juriſconſultus agnovit, ſcribens: *Adulterum, aliqua ſignificatione, ex animi propoſitione cujuſque ſolâ, quem dici poſſe, etiam eum, qui nunquam alienam matremfamilias corruperit, ſiquidem ejus mentis ſit, ut occaſione data id facturus ſit* s; Et Seneca: *Non immeritò in numerum peccantium refertur, qui pudicitiam timori præſtitit, non ſibi.* t Quin & ipſe Magiſter amorum, ſic canens

Ut jam ſervatis benè corpus, adultera mens eſt:
Omnibus excluſis intus adulter erit. u

IV. *Quis adulter.*

Non mirum igitur & Chriſtum præcepta ſua etiam ad animum extendiſſe: *Ego dico vobis,*

q *Nemo blandiatur* 32. *quæſt.* 4. r *Valer. Max. lib.* 6. *cap.* 1. *Sect.* 8. s *L. Fugitivus* 225 *ff. de verb. ſign.* t *Seneca.* u *Ovidius.*

vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. [x] Quem locum respiciens Lactantius; *Non tantùm adulterium esse vitandum præcipit Deus, sed etiam cogitationem, nè quis aspiciat alienam, & animo concupiscat.* [y]

V. *An etiam in sponsa aliena committatur adulterium.*

V. Quæri potest *an etiam in sponsa aliena committatur adulterium*: Et id quidem admittunt Jurisconsulti, [z] quibus & nos accedimus, ut nimirum de jure naturæ etiam in sponsa alterius adulterium sit, sine distinctione, an ea sit desponsata per verba de præsenti, aut de futuro, hanc enim distinctionem jus naturale non agnoscit: hoc verò necessariò requiritur, ut ille qui talem Sponsam corrumpit, conditionis ejus gnarus sit, atque ità desponsatam esse certo sciat, tunc enim certam spem matrimonii proximè secuturi violans, pro eo est, ac si maritatam vitiasset.

VI. *Occurritur objectioni.*

VI. Sed cum adulterium contra naturam statuamus, quomodo id conciliabimus cum legibus multarum gentium, quas inter & Lacedæmonii numerantur, qui adulteria permisisse dicuntur? Nos ad difficultatem hanc enodandam primo dicimus, hanc permissionem tantum fuisse facti, non quod bene fieri judicarent, sed quod tantum huic facto pœnam non imposuerunt, atque proinde id iis impunè fuit: Secundo, quod ubi promiscuæ sunt uxores, illic nec proprium sit matrimonium, & per consequens, nec verum

x *Matth. cap. 7. N. 29.* y *Lactant. lib. 6. cap. 23.* z *Gl. in C. discretionem 6. in verb. reatum Clar. Sect. adulterium N. 9.*

verum illic ſit adulterium: Denique & gentes, alioqui bene moratas, per tales leges non poſſe convellere jus naturale, ſed id nihilominus ſartum tectum manere, ejuſque nexum etiam invitis iis gentibus durare. *Huic enim juri qui non parebit, ipſe ſe fugiet, & naturam hominis aſpernabitur, atque hoc ipſo luet maximas pœnas, etiamſi cætera ſupplicia effugerit.* [a]

VII. Denique notandum, adulterium nullo pacto poſſe honeſtari, atque ideo nullam ex iis, quas ſupra attulimus, quaſi exceptionibus à delicto, hic locum habere. Neque enim Deus adulterium, utpote rem omnino probroſam, imperare poteſt, hoc enim implicaret contradictionem: neque Magiſtratus id juris habet, cum nec belli, nec pœnæ, hic ulla haberi queat ratio: neque ullius rei, imo nec vitæ tutela tanti momenti eſt, ut adulterium eo prætextu colorari poſſit: neque caſus fortuitus ullam præbet excuſationem, cum hoc delictum nullum habeat licitum principium, & moderamen admittat.

VII. *Adulterium nullo pacto poſſe honeſtari.*

VIII. Nunc ad *inceſtum* veniamus, qui etiam quam maximè juri naturali adverſatur, ſed quibus id caſibus locum habeat, operæ pretium eſt diſquirere; eſt enim quidam inceſtus naturali lege, eſt & alius jure civili tantum prohibitus. Prior ſpecies à Juriſconſultis vocatur juris gentium, & committitur primò, *cum quis ex gradu aſcendentium vel deſcendentium uxorem duxerit.* [b] Inter aſcendentes, & deſcendentes autem etiam

VIII. *Inceſtuum ſpecies.*

a Cic. lib. 3. de Rep. apud Lactant. div. Inſtit. lib. 6. cap. 8.
b L. ſin. ff. de rit. nupt.

etiam comprehendimus eos easque, qui quæve ulli eorum matrimonio juncti fuerunt. Secundò vero *cum illiciti fiunt concubitus in Fratres, & Sorores, consanguineos, aut uterinos*: nam & in hoc primo transversalium gradu incestum juris gentium cum aliis vocamus. [c] Non item concubitum cum eorum demortuorum conjugibus; ipse enim Deus in lege Hebræa hanc conjunctionem non tantum probavit, sed etiam expresso præcepto Fratri injunxit, ut prædefuncti fine liberis Fratris uxorem, sibi liberorum quærendorum causa, in matrimonium sumeret. [d] Idéoque & hunc postremum casum, & alios ulteriorum graduum, à juris naturalis præcepto eximendos putamus. Civilem vero incestum non tangimus, utpote ab instituto nostro alienum.

Cur Juri naturæ adversentur.

IX. IX. Ratio cur hæc duo incestus genera cum jure naturæ pugnare statuamus, clara est; Et primò quidem, quod nihil fœdius sit, quam ut Fœmina ejus semen ex quo ipsa concepta est, iterum recipiat, aut ut Vir eum ipsum, ex quo Infans prodiit, uterum, suo facto polluat; Denique ut vel hic vel illa Fratres Sororésque sibi aut proereet, aut pariat, atque ità tollatur omnis ea reverentia, quam Liberi Parentibus debent; hinc egregiè sapiens Judæus [e], *Maximum nefas Patris mortui cubile, quod tantum res sacra intactum sit oportuis, contemnere, neque senectutis, neque materni nominis verecundiâ tangi, eundem ejusdem esse*

Filium

[c] *Hug. Grot. de Jure Belli lib. 11. cap. 5. Sect. 12.* [d] *Gen. cap. 38. v. 8. Deuteron. cap. 25. v. 5.* [e] *Philo de spec. legib.*

Filium & Maritum, eandem ejuſdem Matrem & Uxorem. Quæ ratio etiam ut ex hoc loco patet in affinitate locum habet, unde & Papinianus, *Novercam Privigno, & nurum Socero nubentes, jure gentium inceſtum committere* teſtatur. [f] Et in ſpecie conjunctionem Novercæ cum Privigno Apoſtolus Paulus vocat *talem fornicationem, quæ nec inter gentes eſt.* [g] In altero vero caſu turpitudo hinc eluceſcit, quod qui ex eodem ſemine ſati, aut ex eodem utero nati ſunt, ut per naturam arctiſſimâ cognatione juncti, mutuos amplexus exhorreſcere debeant, quod vel maximè in germanis locum habet, ubi utraque hæc ratio concurrit, ideoque etiam magis ſtringit, unde & Fratrum, & Sororum nuptias, moribus nimirum gentium prohiberi, Juriſconſulti Pomponius, & Paulus ſatentur. *Libertinus libertinam Matrem aut Sororem, uxorem ducere non poteſt, quia hoc jus moribus, non legibus, introductum eſt.* [h] Quod ipſum etiam ad ſerviles nuptias porrigitur, ut juris naturalis eſſe ſciamus, addito hoc elogio: *Quoniam in contrahendis nuptiis naturale jus, & pudor inſpiciendus eſt.* [i] Unde & utramque hanc inceſtûs ſpeciem in barbaris damnat Tragœdia Græca,

Tale eſt omne barbaricum genus,
Mater jungatur Filio, natæ Pater,
Frater Sorori. [k]

Hæ rationes in aliis conjunctionibus cum non æquè clare appareant, ut cuique eas per-

[f] *L. fin. Sect. fin. ff. de cond. ſine cauſa.* [g] 1 *Cor. cap.* 5. *v.* 1. [h] *L. libertinus* 8. *ff. de rit. nupt.* [i] *L. adoptivus* 14. *Sect.* 2. *ff. eod.* [k] *Eurip. Andromach.*

perspicacius investiganti patebit, non mirum si eas cum jure naturali directè pugnare negemus.

X. *Effectus prædictarum incestus specierum*

X. Effectus hujus prohibitionis naturalis in prædictis duabus incestus speciebus, non tantum in eo consistit, ut hominem reddat peccati reum; sed etiam ut ipsum matrimonium (de hoc enim solo propriè hîc agimus) reddat irritum, [l] propter perpetuam vitii inhærentis causam: [m] esse enim hanc etiam juris naturalis vim, supra demonstravimus. [n] Si vero concubitus hi extra matrimonium exerceantur, aut si & aliud delictum secum trahant, puta adulterii; tunc & eo nomine specialem turpitudinem habent; ideóque licet ratione sanguinis, aut affinitatis nulla fortè indè naturalis nascatur obligatio, tamen ex alio capite, puta adulterii, vel flagitiosæ scortationis, in aliud genus peccati incidunt.

XI. *Occurritur dubio.*

XI. Quæri hîc solet, quomodo species prædictæ incestus contra præcepta naturæ committi dicantur, cum tamen eas sub primis mundi incunabulis licitas fuisse manifestum sit; Sed nimirum lex hæc inter eas est, quæ pro certo statu obligant, de quibus & supra egimus. [o] Primis enim temporibus, cum alii non essent homines, ad propagandum humanum genus necessariæ fuerunt Fratrum & Sororum copulationes; ea vero necessitas succedente tempore, & multiplicato jam satis mundo, cessavit; atque tunc

l. L. si stipulor 35. ff. de verb. oblig. m Hug. Gros. dicto c. 31. Sect. 12. & 14. n Supra Capite 4. Sect. 8. o Supra cap. Sect. 11. & cap. 3. Sect. 9.

tunc primum lex hæc naturæ vim obligandi sortita est. p

XII. Cæterum circa alias incestus species dubium oritur, cur eas à prohibitione naturali segregemus, cum Deus ipse de iis ità loquatur; *Nè polluamini in omnibus his, quibus contaminata sunt universæ gentes, quas ego ejiciam ante conspectum vestrum, quibus polluta est terra: cujus ego scelera visitabo, ut evomat habitatores suos.* q Nodum hunc secat auctor de Jure Belli & Pacis r, dicens illic loci locutionem generalem restringi ad præcipua capita, ut sunt adulteria, incestus inter ascendentes, & descendentes, atque alia gravissima flagitia illic enumerata, ubi & latius hæc prosequitur.

XII. *Dubium aliud solitò vitur.*

XIII. Restaret hic etiam aliquid etiam afferre *de prodigiosâ Venere*, sed cum hoc peccatum revera, & apertè sit, quemadmodum etiam vocatur, contra naturam; *ubi amor quæritur, nec videtur.* s Nos uno id verbo attigisse contenti, ab accuratâ hujus peccati examinatione supersedebimus, quod longè melius vitatur nesciendo, *Ubi scelus est id, quod non proficit scire.* t Hinc & Apostolus, *quæ in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere.* u

XIII. *Quid de prodigiosa Venere censendum.*

XIV. Succedat itaque disquisitio *de scortatione, sive Venere vaga*, quæ cum meretricibus exercetur, & hanc quidem etiam contra naturalis legis prohibitionem esse statuimus. Cum enim castitas, morúmque pudor

XIV. *Scortatio cur prohibita lege naturali.*

q *Levit. cap.* 18. *v.* 24, 25. r *Hug. Grot. dicto cap.* 5. *Sect.* 14. s *L. cum Vir* 31. *C. ad l. Jul. de Adult.* t *dicto l.* 31. u *Paul. Epist. ad Ephes. cap.* 5. *vers.* 12.

dor & verecundia, naturæ, ejusque auctori Deo, quam maximè placeant, & consentanea sint, consequens est, ut scortatio, ut puta iis omnibus repugnans, lege naturali sit prohibita: præsertim cum dicatur *fœdissima earum nequitia, quæ pudorem suum alienis libidinibus prosternunt.* [x] Et ratio est, quia *omne peccatum quodcunque fecerit homo extra corpus est, qui autem fornicatur in suum corpus peccat.* [y] Accedit *quod qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur,* [z] atque ità, *Membra nostra facimus membra meretricis,* [a] quæ ipsa cum sit propudium, & probri plena, quomodo potest non dehonestare se ipsum, qui se cum ea conglutinat.

XV. *Occurritur objectioni.*

XV. Verum est hanc legem naturæ apud multas gentes fuisse penitus obliteratam, etiam apud Romanos, unde hoc apud Poëtam, de lupanari, ex sententia Catonis, agentem,

Huc æquum est juvenes descendere. [b]

Sed repetendum hîc quod & supra monuimus, [c] ab unius atque alterius gentis deviatione à lege, non posse concludi eam revera non obligasse, præsertim cum ipsa honesti ratio in contrarium militet. Certè hujus legis obligatio apud Judæos fuit aguita; ita enim eorum lex loquitur: *Non erit meretrix de filiabus Israël, nec scortator de filiis Israël,* [d] quæ etiam ad Christianos transiit, non ex novæ legis præscripto, sed ex restauratione veteris, & hominibus congenitæ; hinc rectè Apostolus: *Hæc est voluntas*

x *L. fœdissimam 20. C. ad l. Jul. de adult.* y 1 *Cor. cap. 6. v. 18.* z *dicto cap. 6. v. 16.* a *Ibid. vers. 15.* b *Horat.* c *Supra cap. 3. Sect. 6.* d *Deuteron. cap. 23. v. 17.*

luntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderii, ut gentes quæ ignorant Deum. [e]

XVI. Plura ad hanc materiam de concubitu illicito possent in medium adduci, ut puta, *de raptu Virginum*, *de stupro violento*, & alia id genus; de quibus nos jam verba non faciemus, quia eorum peccatorum natura, ex iis, quæ hactenus disseruimus, facile potest cognosci, & quia ea omnia apud Jurisconsultos suis locis, satis accurate tractata, reperire est. XVI. *Cur de aliis hujus generis peccatis Author non egerit.*

CAPUT XIII.

De furto & damno injuria dato.

I. NUnc ordo nos deduxit ad ea nocumenta, quæ hominibus circa bona inferuntur, in quibus præceptum *de furto* præcipuum locum obtinet. Quod & ipsum juris naturalis esse, Jurisconsulti nos docent veteres, qui *furtum natura turpe* : [f] & *lege naturali prohibitum* [g]; exsertis verbis pronuntiant, idque definiunt *contractionem fraudulosam lucri faciendi gratiâ, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisve.* [h] Etymologiam etiam addunt a Græco sermone, I. *Præceptum de furto quid sit.*

I ne,

e 1 ad Thessal. cap. 4. v. 3. f L. probrum 41. ff. de verb. sign. g L. 1. Sect. 2. ff. de furt. h Sect. furtum 2. In. de oblig. quæ ex delicto.

ne, qui φῶρας appellat *fures*, *à ferendo*, id est, auferendo, sic dictos.

II. *Cur & quo jure interdicatur.*

II. Neque longè quærenda est ratio, cur hoc præceptum prohibitivum de furto, legi naturali attribuatur; nam non tantum hoc inter prima præcepta, omnibus Noachidis à Deo data, Hebræi numerant, sed etiam Philosophi testantur: *Justitiam in eo sitam esse, ut abstineatur alienis.* [i] Et alius: *Lex altera & ipsa suâ naturâ sancta atque divina ea est, quæ semper & ubique alienis abstineri jubet.* [k] Et in eandem sententiam Poëta Græcus

Spernenda, si non jure veniat, copia est.
Communis æther hominibus, tellus quoque,
In qua ampliare cuique sic fas est domum,
Ut ab alienis rebus, ac vi temperet. [l]

Cumque supra à nobis stabilitum sit hoc juris naturalis principium, *quod tibi fieri non vis, alteri nè feceris*, nullibi hoc clarius elucescit, quam in hac materia furti. Nemo enim pati potest, bona sua invito sibi eripi, ideóque id nec alii faciendum esse, per se novit. Nihil etiam magis perturbat humanam, in qua vivimus, societatem, quam cum quis dominio, aut possessione rei suæ privatur.

III. *Occurritur objectioni.*

III. Sed objici hîc solet, communionem bonorum ab ipsa natura institutam, atque ità furtum contra legem naturæ non committi, cui objectioni ut obvietur, notandum, primò hanc communionem fuisse juris tantum concessivi, atque ità mutabilitati obnoxiam, deinde repetendum hic quod

i *Porphyr. de non esu anim.* k *Julianus.* l *Euripid. Helen.*

quod supra posuimus, Cap. 2. §. 5. non omnia ejus juris præcepta directè, & immediatè a natura emanare, sed quædam ex iis fundari in aliqua hypothesi facti humani, sic *adulterium præsupponit nuptias*, & *prohibitio furti bonorum divisionem*, quâ posita, statim *meum* & *tuum* introducitur, quod postea non misceri omnium hominum interest. Præterea nec hoc constat, durante communione bonorum, nullum furtum locum habere potuisse; quin verò contrarium ejus vel inde apparet, quod homini licuit tam arborum, quam terræ fructus in suos, suorúmque usus legere, & decerpere, quos ità lectos, & decerptos, unusquisque suos faciebat occupando, atque ità jure retentionis servare sibi poterat, neque alteri cedere tenebatur, quod si quis eum iis interverteret, is revera furtò se alligabat.

IV. Videamus jam varias furri species, ut ejus naturam eo melius investigemus: Et primò quidem *furtum aliud est simplex, furti ex aliud cum violentia* conjunctum. *Simplex* appello, quod clanculum, & sine armis fit; & hoc iterum aut retinet nomen generale, ut in iis, quæ attu surripiuntur, aut in propriam speciem transit, atque ità peculiare nomen sortitur. Ad quam classem pertinent hæ quatuor species. [m] 1. *Sacrilegium*, quod est furtum rei sacræ. [n] *Peculatus*, quod proprie in rem, aut pecuniam publicam cadit. [o] 3. *Plagium*, qui sciens, dolo malo, liberum hominem emit, vel

IV. *Species furti exaliud cum violentia conjunctum. Simplex ponuntur.*

I 2 ven-

m *Summa Silv. de furto N.* 1. n *L. Sacrilegii 6 ff. ad leg. Jul. pec.* o *L.* 1. *ff. dicto tit.*

vendidit, [p] & 4. *Abigeatus*, qui pecora ex pascuis, vel ex armentis subtrahunt. [q] Ad alteram vero classem *Furti, quod cum violentiâ* conjunctum est, spectat *Rapina*, quæ est violenta ablatio rei mobilis facta dolo malo, animo lucrifaciendi. Quæ & ipsa varias comprehendit sub se species: Nimirum 1. *Effractores*, qui domos aut horrea furandi causa effringunt, aut parietes perfodiunt; [r] 2. *Latrones*, qui ferro obsident latera viarum, spoliántque obvios: 3. *Prædones*, qui prædas agunt, & vi aperta homines adoriuntur: 4. *Piratas*, qui mari grassantur, & navigantes infestant, & 5. *Expilatores*, qui viatoribus noctu pallia, & vestes diripiunt, & *Fures atrociores* dicuntur [s]. Hos omnes furum nomine venire manifestissimum est.

V. *An furtum in rebus immobilibus fieri possit*

V. Majoris quæstionis est, *an furtum etiam in rebus immobilibus fieri possit*, quæ olim inter veteres Jurisconsultos magnis animis agitata est. [t] Nos magis ad rem ipsam, quam ad conceptionem verborum respicientes, tam eos, qui res immobiles intervertunt, quam qui mobiles auferunt, sub hoc capite comprehendi putamus, cum nulla, quoad peccati reatum, inter eos sit differentia.

VI. *An inter virum & uxorem committi possit.*

VI. Quæri etiam potest, *an inter virum & uxorem furtum committi videatur*, quod nos ob rationem supra positam etiam asserimus: neque in contrarium movet, quod inter-

p *L.* 1. 3. 4. *ff. de lege Fab. de plag.* q *L.* 1. *Sect.* 1. *ff. de abig.* r *L.* 1. *Sect.* 2. *& l.* 2. *ff. de effract.* s *dicto l.* 1. *Sect.* 1. t *L.* 25. *ff. de Furt. Inst. de usu cap. Sect.* 3. *vers. abolita Gel. lib.* 11, *cap.* 18.

interpretes juris civilis in hac ſpecie, rerum amotarum, non Furti, vocabulum uſurpent. [u] Id enim ad actionis, ex tali facto reſultantis, naturam propriè pertinet, cum enim Furti famoſa ſit actio, eam marito adverſus uxorem, aut vice verſa, competere noluerunt: *Nam in honorem matrimonii turpis actio adverſus Uxorem negatur.* [x] Quæ conſideratio nos non tangit, qui de actione, aut pœna ex tali contrectatione procedente, non agimus, ſed ipſius tantum vitii turpitudinem taxamus.

VII. Denique & diſputari ſolet *an etiam rei minimæ furtum fieri poſſit*; ſed & hic idem eſto judicium; neque enim magnitudo, aut parvitas ſummæ, quæ ſubrepta eſt, in ipſa vitii natura ullam ponit differentiam, ſed tantùm in pœna, quæ à lege civili determinanda venit, quod rectè notavit Poëta his verſibus,

Nam de mille fava modiis cum ſurripis unum,
Damnum eſt, non facinus, mihi pacto lenius iſto. [y]

VII. *An etiam rei minimæ furtum fieri poſſit.*

Eſtque in hac materia ferè perpetuum, ut is qui in modicâ re peccat, idem facturus ſit in majori, ſi quando ſe offerat occaſio. Quicquid ſit, omnis alienæ rei illicita uſurpatio, hoc præcepto prohibitivo continetur, eodem itaque peccato etiam modicæ rei furtum involvitur.

VIII. Et hæc quidem de extenſione hujus legis, in omni ſua latitudine, dicta ſufficiant: nunc examinandum eſt, an non & aliquæ

VIII. *Exceptiones hujus præcepti. Primæ hic.*

u *L. 1. ff. rer. amot.* x *L. 2. ff. dicto tit.* y *Horat. lib. 1. Epiſt. 16.*

aliquæ quasi exceptiones hic sibi locum vendicent, quod verissimum est: Prima est: *Nisi quis à Deo ad id expressum habuerit mandatum.* Non quidem hoc sensu, ut Deus furtum unquam jusserit qua peccatum est, sed quod præcepto suo, usurpationem rei alienæ suo mandato factæ, faciat non esse furtum, atque ità nec peccatum; ut enim verus rei Dominus suam rem auferenti potest ad sensum suum accommodare, & proinde furto alioqui nascituro materiam subtrahere: ità & Deus ex supremo suo Dominio, quod uni prius concesserat, alteri potest attribuere. [2] Ut patet in Israëlitis, qui divino jussu, atque ità juste, Ægyptios bonis suis exuisse leguntur. [4] Vide supra Cap. 3. §. 10. & Cap. 11. §. 12.

IX. *Secunda exceptio.*

IX. Secunda quasi Exceptio: *nisi Magistratus alicui mandaverit, ut cuipiam bona sua adimat*; quod quidem, non potest simpliciter, quemadmodum de Deo Diximus, sed ex causa rationabili, belli nimirum, aut pœnæ, aut simili, ut supra demonstravimus. [6] Et hac quidam ratione excusantur, qui in bello ex hostico prædas agunt, itémque qui post bonorum publicationem, et in Fiscum trahunt, quod absque publica auctoritate, per declarationem belli, aut sententiam pœnalem, ipsis concessa, facere non possent. De legibus Lacedæmoniorum, qui aliqua furta permiserunt, alia res est, quippe qui tantum criminis impunitatem indul-

a Soto. *de just. & jur. lib.* 11. *quæst.* 3. *cap.* 8. *in fine.* 2 Exod. *cap.* 11. *v.* 2. b *Supra cap.* 3. *Sect.* 10. *& cap.* 11. *Sect.* 13.

indulſerint, niſi fortè putemus, ad acuendam juvenum agilitatem, & compeſcendam quorundam in bonis ſuis conſervandis indiligentiam, lege ſanxerint, contrectationes alienæ rei, quæ multa cum arte, & per clancularias machinationes fierent, pro furtis non habendas.

X. Tertia exceptio hæc ſit: *niſi quis ſummâ neceſſitate adactus res alterius ſibi applicaverit.* Exempli gratia, ſi fame inevitabili preſſus, alterius cibariis vitam ſuſtentaverit; quod cur, talis neceſſitatis tempore non liceat, cum eadem ex cauſa, nimirum vitæ conſervandæ, hominem ut ſupra probavimus, interficere liceat, ego ſanè non video; neque iis aſſentior, qui hoc caſu peccatum quidem manere, ſolam vero pœnam remitti putant; utrumque enim hic concurrit, ut talis non tantum à legis humanæ obligatione, quoad pœnam, ſed etiam à legis naturalis nexu, quoad reatum immunis ſit, qua in ſententia ſunt & Theologorum plerique, [c] nec hoc mirum: *Neceſſitas enim magnum humanæ imbecillitatis patrocinium, omnem legem frangit, & quicquid cogit defendit.* [d] Et credendum eſt primam rerum diſtinctionem in Dominos ità factam, ut ei benigna quædam receptio primitivi juris in caſu neceſſitatis inſit, neq; primos diviſores, ſi eâ de re rogati fuiſſent, aliter fuiſſe reſponſuros, ut tradit auctor de Jure Belli & Pacis, qui & plura affert argumenta. [e]

X. Tertia exceptio.

c *Summa Silv. in verbo furtum N. 5.* d *Sen. lib. 4. controv. 27.* e *Hug. Grot. de jure belli lib. 11. cap. 2. N. 6.*

XI. *Damnum per injuriam datum cur prohibeatur.*

XI. Accedamus nunc ad alteram hujus capitis partem, quæ est *de damno per injuriam dato, ut nimirum id sarciatur:* cujus præcepti æquitas pendet è duobus principiis naturalibus, quorum primum est, *hominem non debere alteri nocere,* alterum, quod & supra attigimus, *æqualitatem ubique servandam;* Cum enim *damnum, & damnatio, ab ademptione, & quasi diminutione patrimonii dicta sint,* [f] certum est nemini licere hanc diminutionem alteri inferre; cùm igitur quis tale quid fecit, quod facere jus non habuit, consequens est ut ea res ad æqualitatem reduci debeat, atque ità ab eo qui damnum dedit, damnum reparari.

XII. *Damnum dolo datum quid.*

XII. *Omne* autem *damnum aut dolo, aut culpâ datur,* extra hæc duo non intelligitur damnum injuriâ datum; *Damnum dolo datum* ad malefacia pertinet, quæ dolum includunt; sic homicida injustus solvere tenetur expensas, si quæ sunt in medicos factæ, & iis quos occisus alere ex officio solebat, puta Parentibus, Uxoribus, Liberis dare tantum, quantum illa spes alimentorum valeat: sic adulter, & adultera tenentur indemnem præstare maritum ab alendâ prole, & si quid aut ei, aut suis eo nomine abierit, rependere: sic fur tenetur rem subtractam reddere cum suo incremento naturali, [g] & cum sequente damno, aut cessante lucro. [h]

XIII. *Damnum culpa datum quid.*

XIII. Idem & *in damno culpâ dato* observandum, nam & hîc perpetuum est, *Neminem damnum facere, nisi qui id fecit,* quod

[f] *L. 3. ff. de damn. inf.* [g] *L. cum tabulas 27. ff. de furt.* [h] *H. g. Grot. de jur. belli lib. 11. cap. 17. N. 13, 15. 16.*

quod facere jus non habet: [i] *& damnum accipi culpâ datum, etiam ab eo qui nocere noluit.* [k] *Culpæ autem nomine etiam leviſſima venit.* [l] Neque hic excuſari quis poteſt per Imperitiam, ut puta quando Medicus medicamento perperam eſt uſus, aut aliquem imperitè ſecuit; *cùm affectare quiſque non debeat, in quo vel intelligit vel intelligere debet infirmitatem ſuam alii periculoſam futuram:* [m] Neque etiam ignorantia hic excuſationem meretur, *ſi ſcire debuiſti ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere, vel jacturam,* [n] ſemper enim tenetur, *qui eam quam debuerat, non curavit diligentiam adhibere.* [o] *Culpa enim eſt, quod cùm à diligente provideri poterit, non eſt proviſum.* [p] Sed dubitari poſſe videtur, quatenus reparatio damni ſe extendat, nos etiam ejus quod intereſt rationem habendam putamus, [q] niſi id quod intereſt ſit incertiſſimum. [r]

XIV. Cæterum hæc naturæ lex tam æqua eſt, ut etiam extenſiones aliquas admittat; itaque non tantum tenetur quis de eo, quod ipſe per ſe fecerit, ſed etiam de mandato alii dato; *Damnum is dat, qui jubet dare.* [s] Imo & ſi quocunque modo cauſam damno dederit: *Verum eſt enim, eum qui cauſam præbuit damni dandi, damnum dediſſe.* [t] Et ſi quis occaſionem damni dederit:

XIV. *Extenſiones bujus legis.*

Qui

i *L. nemo* 151. *ff. de reg. jur.* k *L. ſed ſi* 5. *Sect. injuriam* 1. *ff. ad leg. Aquil.* l *L.* 44. *ff. dicto tit.* m *L. idem* 8. *Sect.* 1. *ff. eod. tit.* n *C. fin.* 30. *de injur.* o *dicto c. fin.* p *L. ſi paſtor* 31 *ff. ad l. Aquil.* q *L. ait lex* 21. *Sect.* 2. *ff. dicto tit. Sect. illud non* 11. *inſt. eod. tit.* r *L. quemadmodum* 29. *Sect.* 3. *in fin. ff. eod. tit.* s *L. is damnum* 169 *ff. de reg. juris.* t *L. Proculus* 4. *Sect. ſed & ſi* 14. *ff. vi bon. rapt.*

Qui enim occasionem præstiti damnum feciſſe videtur. [u] Quin & ille tenetur, *qui ſervum agrotum leviter percuſſerit, & is obierit, quia aliud alii mortiferum eſſe ſolet.* [x]

XV. *Exceptiones ejuſdem.*

XV. Sunt tamen etiam aliquot hîc exceptiones, imprimis vero, quando aliquis jure ſuo eſt uſus, *Qui enim jure ſuo utitur nemini facit injuriam:* [y] *& quod legitimè factum eſt, nullam pœnam meretur.* [z] Itaque *qui latronem inſidiatorem occiderit, non tenetur, utique ſi aliter periculum effugere non poteſt.* [a] Item quando caſu quid accidit: *Si modo culpa ejus nulla inveniatur,* [b] *caret autem culpâ, qui omnia, quæ oportet, obſervavit,* [c] divinare certè nemo tenetur: [d] Deinde etiam quando quis nè quod damnum obveniat prohibere non poteſt; *Culpâ enim caret, qui ſcit, ſed prohibere non poteſt.* [e] A parte verò ejus qui damnum patitur, oritur exceptio, ſi id ſuâ culpâ ſentiat: *Nam quod quis ex ſuâ culpâ damnum ſentit, non intelligitur damnum ſentire.* [f] Et ratio eſt, quia *damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, & non aliis imputare.* [g] Unde & ſi quid Magiſtratus contra reſiſtentem violentius fecerit, non tenebitur, quia nimirum ipſe debuerat non reſiſtere.

u *L. qui occidit* 30. *Sect. pen. ff. ad l. Aquil.* x *L. qua actione* 5. *Sect. ſed ſi* 5. *ff. eod. tit.* y *L. Gracchus* 4. *C. ad leg. Jul. de adult.* z *Sect. injuria* 3. *Inſt. de l. Aquil.* a *Sect. ac ne* 4. *Inſt. ibid.* b *L. qui occidit* 30. *Sect. pen. ff. eod. tit.* c *L. ſi gubernator* 31. *ff. eod. tit.* d *L. culpa* 50. *ff. de reg. jur.* e *L. quod quis* 203. *ff. eod. tit.* f *Damnum* 86 *de reg. jur. in ſexto.* g *L. quemadmodum* 29. *Sect. Magiſtratus* 7. *ff. ad l. Aquil.*

C A-

CAPUT XIV.

De Falso, Mendaciis, Injuriis.

I. DIximus supra [h] læsionem alterius consistere in factis vel in verbis, nunc addemus, dari etiam crimen, quod utramq; speciem comprehendat, & tam factis, quam verbis committatur, falsum nimirum, quod & ipsum, ut ad furti naturam proximè accedens, hic congruo loco tractabimus. Est autem falsum *dolosa veritatis immutatio in alterius præjudicium facta.* Tria igitur hîc concurrant oportet, 1. *Dolus* nempe, *cum non nisi dolo malo falsum committentes, crimini subjugentur.* [i] 2. *Veritatis item immutatio*, ut *si quis alienum Chirographum imitetur.* [k] Et 3. *Damni alicujus illatio*, hoc enim illud nocumentum est, quo aliquis læditur. I. *Quid sit falsum.*

II. Turpitudo hujus delicti omnium se oculis statim ingerit, ut dubitari non possit, an lege naturali sit prohibitum, cum enim virtutem, & veritatem promovere, natura quam maximè contendat, nihil iis magis contrarium, quam falsitas, quæ & veritatem immutat, & à virtute alieniſſima est. Nihil etiam societati humanæ magis adversatur, quàm ea ipsa falsitas, quæ omnia vincula, quibus ea societas constat, aut convellit, aut corrumpit. II. *Turpitudo hujus delicti.*

III. Falsi

h *Supra cap.* 11. *Sect.* 1. i *L. nec exemplum* 20. *C. ad l. Corn. de falsi.* k *L. quid sit falsum* 23. *ff. eod. tit.*

III. Falsi quatuor. III. Falsi tam multæ sunt species, ut vix numero comprehendi, vix in ordinem redigi possint; nos præcipuas falsitates in quatuor classes distinguimus, ut nempe committantur in 1. *Persona*, 2. *Verbis*, 3. *Scripto*, vel 4. *Abusu*. *Falsum in persona committitur*, quando persona aliqua alia, quam revera est, esse fingitur, ut cum partus supponitur. [l] Cum in contractu, testamento, judicio, alia persona pro alia subditur, [m] cum quis fraudulenter nomen suum mutat, [n] aut alterius sibi nomen, aut qualitatem ascribit. [o] *Verbis committi falsum* dicitur, cum quis in præjudicium alterius, verbis utitur dolosis; cujus pernicioſissima species est, cum testis requisitus, falsum in aliquem fert Testimonium, quod in Decalogo ità effertur: *Non loqueris contra proximum tuum falsum Testimonium*, [p] sub quo etiam comprehendo eum, qui veritatem malitiosè tacet, & qui pecuniam accipit ad testimonium dicendum, vel non dicendum. [q] *Utrque enim rem est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat.* [r] Estque de tota hac materia egregius locus, quem adscribere non pigebit. *Falsidicus testis tribus personis est obnoxius: primum Deo, cujus præsentiam contemnit: deinde Judici, quem mentiendo fallit: postremò innocenti, quem falso Testimonio ladit.* [s] Huc per-

l *L. qui falsum* 19. *Sect.* 1. & *l. lege Corn.* 30. *Sect.* 1. *ff. ad l. Corn de falsi.* m *Fel. Clar. Sect. Testam. quæst.* 59. n *L.* 1. *i. bique D. D. C. de mut. nom.* o *L. falsi* 13. *ff. ad l. Cor. de falsi.* p *Exod. cap.* 20. *v.* 16. q *L.* 1. *Sect.* 2. *ff. ad l. Corn. de falsi.* r *l.* 30. *ibid.* s *cap.* 1. *Sect.* 1. *X. de crim. falsi.* t *dicto cap.* 1.

pertinent etiam Judices, qui ex malitiâ vel muneribus corrupti injuſtam ferunt ſententiam. [t] *Tertia falſi ſpecies circa ſcripta verſatur*, quando quis falſa ſcripta componit, vel in mundum redigit; item inſtrumenta, rationes, acta, libellos, chirographa, epiſtolas in fraudem alicujus lædit, corrumpit, mutat; adjiciendo, demendo, radendo, delendo, falsè ſubſcribendo, falſa ſigilla appendendo, aut chirographa falſa conficiendo, & quæ alia ejus generis ſunt. [u] *Quarta & ultima ſpecies ea eſt, quando quis dolosè re aliqua ad decipiendum alterum abutitur*, ut puta, qui falſis utitur menſuris, ſtateris, bilancibus, item mercibus adulterinis, corruptis, depravatis. [x] Quibus addendi ſunt & illi, qui monetam adulterant, nempe nummos aureos vel argenteos cudunt, radunt, corrumpunt, vitiant, tingunt. [y]

IV. In his omnibus caſibus illud perpetuum eſt, ut de damno dato conſtare debeat, alias crimen hoc, propriè loquendo, non incurritur; unde & falſum committens non tantum cadit in legis naturalis reatum, & in pœnas civili jure ſtatutas, de quibus nos hic non agimus; ſed præterea etiam ad reparationem damni tenetur [z], quemadmodum id de furto aliiſq; criminibus ſupra declaravimus.

IV. *Quid hic perpetuum ſit.*

V. Quid igitur de conatu in hac materia dicemus? Idem quod ſupra de homicidio:

V. *Quid de conatu in hac materia ſtatuendum.*

t *dicta l. 1. Sect. 2.* u *L. 1. 16. 23. ff. dicto tit.* x *L. hodie 32. Sect. ſi venditor 1. ff. dicto tit. l. annonam 6. Sect. 1. ff. de extr. crim.* y *L. quicunque 8. l. 9. & Sect. 1. 2. ff. ad leg. Corn. de falſ. l. 1. 2. 3. C. de falſ. mon.* z *Summa Silv. in verbo falſarii N. 3.*

cidio: [a] nempe si conatus aliquem habuerit effectum; id est, si falsum aliquam attulerit læsionem, committentem eatenus teneri quatenus læsit. Sin vero nulla omnino inde processerit læsio, hac quidem lege eum teneri non putamus: Cæterum ex Capite doli admissi (hunc enim semper hic præsupponimus) propter malum animi propositum, in conscientia obligari concedimus.

VI. *An aliqua hîc admittatur exceptio.*

VI. Denique & hoc quæri potest, an non aliqua hîc admittatur exceptio, quod nos vix fieri posse putamus, cum semper adsit dolus, qui nunquam excusari potest. Si tamen casus exsisteret, in quo de simplici errore constaret, neque dolus ullo modo argui posset, & eum à legis hujus obligatione immunem crederemus; facit quod etiam de jure civili falsum committere non dicuntur, *qui aliàs in computatione, vel ratione mentiuntur.* [b]

VII. *Quid sit mendacium.*

VII. Sed cum in superioribus mendacii aliquoties inciderit mentio, idque proprie in solis consistat verbis, restat ut & ejus naturam jam examinemus; *Est* igitur *mendacium falsa significatio vocis cum intentione fallendi*; is enim *qui mentitur contra id quod animo sentit, loquitur voluntate fallendi*; juxta Augustinum. [c] *Et utique verba propterea instituta sunt, non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ quisque in alterius notitiam cogitationes suas proferat. Verbis ergo uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est.* [d] VIII. Tur-

a *Supra cap.* 11. *Sect.* 6. b *L. quid sit* 23. *ff. ad l. Corn. de falsf.* c *cap.* 22. *quæst.* 2. *cap. is autem* 4. d *dict. cap.* 2. *Sect.* 1.

VIII. Turpitudo hujus vitii vel hinc eluceſcit, quod qui aliud dicit, quam cogitat, humanam ſocietatem in eo lædit, quod eum, ad quem ſermo dirigitur, privat judicandi libertate. Cumque *veritas ſit Dei comes*, [e] longiſſimè à Deo abire judicandus eſt, qui deſertâ veritate mendacio adhæret; hinc illud de Deo dictum: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* [f] Et inter eos, qui habitabunt in tabernaculo Dei numeratur ille, *Qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in linguâ ſuâ.* [g] Et de omnibus bonis generaliter enuntiatur: *Verbum mendax juſtus deteſtabitur.* [h] Cujus rei notitia etiam ad gentiles tam Philoſophos, quam Poëtas pervenit: unde Philoſophorum maximus: *Per ſe mendacium turpe, ac vituperabile, veritas pulchra, & laudabilis.* [i] Et Poëtarum Coryphæus

Ille mihi inviſus pariter cum faucibus orci,
Cujus mens aliud condit, quam lingua profatur. [k]

Et Tragicorum Princeps, *Mendacis notam Auferre, magnum eſt liberi capitis probrum.* [l]

VIII. *Turpitudo hujus vitii unde eluceſcit.*

Certè hæc quam maximè locum ſibi vendicant, quando per mendacium aliquis decipitur, hoc enim ad falſitatem, de qua ſtatim egimus, quam proximè accedit; vel quando alius indè læditur, quo nomine præcipuè ad hoc caput pertinent mendacia: Utramque partem breviter comprehendit hæc elegans

e *Phil. de vit. Moſ.* f *Pſalm* 5. *verſ.* 7. g *Pſalm* 14. *verſ.* 3. h *Proverb.* 13. *verſ.* 5. i *Ariſtoteles.* k *Homerus.* l *Sophocles Trachin.*

elegans Doctoris Christiani sententia: *ut non mentiatur unquam decipiendi aut nocendi causâ.* [m] Mirum itaque leges Civiles etiam hac in parte connivere, neque pœnas ulli mendacio imponere.

IX. *An mendacium non nocivum, aut officiosum huc pertineant.*

IX. An autem mendacium non nocivum, aut etiam officiosum ad eandem classem pertineant, satis accurate ab aliis auctoribus tractatum est, imprimis ab Augustino in Enchiridio suo, [n] item à Silvestro: [o] & ab auctore commentarii de Jure Belli & Pacis, [p] ubi hæ quæstiones, & aliæ ad eandem materiam pertinentes, examinantur, & veterum scriptorum auctoritatibus fulciuntur, quo me brevitatis causa remitto.

X. *Quæ præterea huc non pertineant.*

X. Hoc interea notandum, minimè huc pertincre eos, qui rem falsam dicunt, quam veram putant; *Nemo enim mentiens judicandus est, qui dicit falsum quod putat verum: quoniam quantum in ipso est, non fallit ipse, sed fallitur,* [q] ut nec eos, qui aut parabolis, citra veritatem, docendi causa confictis utuntur: aut hyperbolicè loquuntur, Rhetorum more, *cum quis ad verum mendacio venit.* [r] Aut qui per Ironiam, aliud dicendo, aliud intelligi volunt. Quibus etiam addi possunt ii, qui jocando aliter quam sentiunt loquuntur; & qui ludunt verbis ambiguis, duos aut plures significatus admittentibus. Denique sciendum hîc nos tantum agere de sermone asserente, non verò de promittente, cujus alia

m *Lactant. Inst. 6. cap. 18.* n *dist. cap. 22. qu. 2. c. primum Sect. 8.* o *Silv. Summa in verb. mendacium.* p *Hug. Grot. de jur. bell. lib. 3. cap. 1. Sect. 10. & seqq.* q *dicta quæst. 2, c. 11 autem 4. Sect. Nemo.* r *Sen. de benef. libr. 7. cap. 23.*

alia est ratio, ut suo loco demonstrabimus.

XI. Restat ultima hujus Capitis pars, nempe *de Injuriis*: *Injuria autem ex eo dicta est, quod non jure fiat: omne enim quod non jure fit injuria fieri dicitur: Specialiter autem injuria dicitur contumelia.* [s] *Contumeliam quidam à contumescendo derivant*, [t] qaippe quæ proficiscatur ex insolenti tumore animi; [u] alii, & melius quidem nostro judicio, *à contemnendo*, [x] quia is qui eam alicui infert, manifestè contemptum ejus indicat; hinc Seneca: *Contumelia à contemptu dicta est, quia nemo, nisi quem contemnit, eâ afficit injuriâ.* [y] Etsi autem contumelia gravior videatur aliis injuriis, pertinet enim illa proprie ad dignitatem, illæ vero ad famam; juxta vetus illud

Patior facile injuriam, si est libera à contumelia, [z]

Revera tamen levior est contumelia; *prior enim illa natura gravior est, hæc levior, & tantum delicatis gravis, quâ non læduntur, sed offenduntur.* [a]

XI. *Quid sit injuria specialiter vero contumelia.*

XII. *Omnis injuria aut fit re, aut verbis, aut scripto*: De priore hic non agemus, quia ea à læsione, de qua jam egimus, non multum differt (ut, cum quis pulsarur sine dolore, vel verberatur cum dolore [a]) ideóque ejusdem ferè naturæ est, ac iisdem regulis constat: Neque etiam multa afferemus de injuriis per scripturam illatis, vix

XII. *Quot modis injuria fiat.*

s *L. 1. ff. de injur.* t *Summa Silv. in verbo contumelia.* u *dicta l. 1. in fin. pr.* x *Sen. de tranq. vitæ lib. 11.* y *Pacau. Perib.* z *Sen. de const. sap.* a *L. lex Corn. 5. Sect. 1. ff. de injur.*

enim hîc quippiam singulare occurrit, sufficit itaque quod de famosis libellis statuitur. [b] Injuria, quæ verbis fit, à Scholasticis dividitur in quinque species; Prima est *Contumelia*, quæ contra honorem alterius fit, Altera *Detractio*, quæ est famæ læsio, cum alicui quid objicitur, quod contra bonos mores, atque ità probrosum est; Tertia *Susurrus*, quem propriè ad dissuendas amicitias spectare volunt; Quarta est *Irrisio*, quæ in eo præcipuè consistit, ut alicui pudor suffundatur: Postrema *Maledictio*, sive mali alicujus imprecatio. [c] Sed nimirum duæ priores species præcipuæ sunt, & ad eas reliquæ facilè referuntur.

Gravitas injuriæ unde æstimanda.

XIII. Illud in omni Injuriâ generale, quod hæc peccata ex intentione sumunt gravitatem: [d] quod Jurisconsulti dicunt *injuriam ex affectu facientis consistere.* [e] Et quod per eam lædatur alicujus existimatio, quam cum quis tueri & possit, & aliquatenus debeat; *Crudelis enim est, qui famam negligit.* [f] Hinc & illud, *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis pertinebit tibi, quam mille thesauri pretiosi, & magni.* [g] Facile hinc apparet, quatenus in legis naturalis præcepta impingant, qui alterius aut dignitatem minuunt, aut bonam famam commaculant. Quid enim magis charitati, quam homo homini debet, contrarium est, quam ut quis alterius honori detrahat, aut probrum aliquod ei malignè affricet, quod nemo

b *tot. tit. Cod. de famos. libellis.* c *Soto de just. & jur. lib.* 5. *quæst.* 9. 10 & 11. d *Summa Silv. in verb. injuria Sect.* 2. e *illud* 3. *Sect.* 1. *ff. de injur.* f *cap.* 12. *quæst.* 1. *nolo* 10. g *Sirach, cap.* 41. *v.* 15.

nemo bonus unquam sine summâ animi commotione sibi fieri patiatur.

XIV. Porro examinandum est, qui de illata injuria teneantur, & qui eam prosequi possint: ad primum quod attinet, omnes qui rationis capaces sunt, obligantur, non autem Infantes, amentes, furiosi, & si qui sui juris compotes non sunt; Prosequi autem possunt, qui ipsi in sua persona læsi sunt: item Maritus pro Uxore, Pater pro Liberis, [h] Dominus pro Servis. [i]

XIV. *Qui de illatâ injuriâ teneantur & qui eam prosequi possint.*

XV. Sequitur ut videamus, quousque se injuriarum extendat obligatio, quod nos in solâ *satisfactione* situm esse dicimus, qui enim accepit satisfactionem injuriam remisit. [k] Consistit autem ea satisfactio duabus partibus; Prima est *confessio, & deprecatio culpæ*, altera est *reparatio damni dati*. Cum enim aut honor, aut fama nostra læditur, naturalis ratio exigit, ut nobis satisfiat per agnitionem culpæ, in persona ejus qui nos læsit, & per solutionem damni, quod aliquis inde sibi obvenisse conqueritur, quod ferè ex ipsius pendet æstimatione. [l] Quo sensu rectè accipi potest hæc sententia; *Contumelia non ab inferentis animo, sed ex judicio eorum qui patiuntur, aut fit, aut perit.* [m] Sed cum homines in propriæ injuriæ censu soleant esse Judices iniquiores, ad boni viri arbitrium res deducenda est, & legibus civilibus plerunque ità temperatur, ut palinodiam canere debeat is qui injuriam protulit;

XV. *Quousque se extendat injuriarum obligatio & quomodo tollatur satisfactione.*

K 2

h *L. injuriarum* 2. *C. de injur. l.* 1. *Sect.* 3. *ff. eod. tit.* i *L. dominium* 8. *C. eod. tit.* k *L. Sed si* 17. *Sect. si ante* 6. *ff. eod. tit.* l *Summa Silv. in dicto verbo contumelia Sect.* 4. *& in verb. injuria Sect.* 5. *&* 7. m *Chrysost. ac Plutarch.*

tulit; & damnum sarcire, quod alter in existimatione sua passus est; hinc illud in veteri Comœdia

Neque tu verbis solves unquam, quod mihi
re maleseceris,
Novi ego vestra hæc, nollem factum, jusjurandum dabitur te
Indignum injuria hac, [n]

Item alterum hoc

Aut satisfaciat mihi, ad uret insuper,
Nolle esse dicta, quæ in me insontem protulit. [o]

XVI. *Alii modi quib. Injuria tollitur; præsertim remissio.*

XVI. Sunt tamen & alii modi, quibus ipsa injuria tollitur, quos inter primum locum obtinet *Remissio*, quæ sanè multis rationibus Viro bono suaderi potest, est enim *persecutio species aliqua ultionis: quid autem mihi cum ultione, cujus modum regere non possum per impatientiam doloris.* [p] Quo pertinet hic veteris Testamenti locus; *non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum;* [q] Et hic Apostoli, *Non vosmet ulciscentes dilecti, sed date locum iræ, scriptum enim est: Meum est ulcisci, ego rependam, dixit Dominus.* [r] Itémque ille Ecclesiæ Doctoris, *Nè nos vindicta delectet, quæ alieno malo animum pascit;* [s] Et hic Jurisconsulti, *cogitatio ejus qui lites exsecratur non est vituperanda.* [t]

XVII. *Signa remissionis.*

XVII. Ad remissionem introducendam de jure naturæ sufficiunt ea signa, quæ animi non exulcerati vel deliniti sunt testimonia, quæ

n *Terent. Adelph.* o *Plaut. Amphit.* p *Tertull. de Fal.* q *Levit. 19. v. 18.* r *Epist ad Rom. cap. 12. v. 17.* s *Aug. Epist. 154.* t *L. item si Sect. 1. ff. de alien. jud. mut. caus. facti.*

quæ leges civiles, mirum in modum huic remissioni faventes, etiam ulterius produxerunt ad actus aliquos unde ea tacitè infertur, ut sunt. 1. Si injuriam passus eam statim ad animum non revocaverit. [a] 2. Si annum elabi passus sit, antequam de ea querelam instituat. [x] 3. Si mors alterutrius interveniat. [y] 4. Si aliqui intercesserint actus amicitiæ, ex quibus dissimulatio injuriæ argui posse videatur, ut si injuriatus cum injuriato comedat, ludat, bibat, [z] quæ omnia cum jure naturali satis conveniunt: Revera autem lapsus anni neminem ab illatâ injuriâ liberat, ut nec mors alterutrius interveniens, manendo in terminis purè naturalibus. Tempus enim, hoc jure, non est modus tollendi obligationem. [a] Et mors non est actus voluntarius, atque ità post obligationem semel introductam, nihil potest operari.

XVIII. Denique etiam leges civiles invenerunt aliquos modos, quos pro idonea satisfactione habent, ut si in initio litis injurians protestetur, se injuriandi animum non habuisse, atque ità se purget. [b] Si injuriatus alias retorserit injurias, atque ità ipse se tali modo vindicaverit; hæc enim vindicta ei sufficere debet. [c] Et si qua alia ejus generis sunt, quæ apud Jurisconsultos, hanc materiam tractantes, facile reperire est. XVIII. *Modi juris civilis.*

u *Sect. fin. inst. de injur. l. non solum Sect. 1. ff. eod tit.* x *L. si non convitii 5. C. e d. tit.* y *L. injuriar. 13. ff. de inj.* z *C. nec aliqua 27. quæst. 1.* a *L. obligationum 44. Sect. 1. vers. placet ff. de oblig. & action.* b *dicto l. si non convitii 5. Gail. libr. 2. observ. 106.* c *L. quæ omnia 25. ff. de procurat. l. sciantiam 45. Sect. 4. ff. ad l. Aquil.*

CAPUT XV.

De Promiſſionibus, & Pactis.

I. *Summa dicendorum.*

I. ABſolutis duobus prioribus juris præceptis nunc ad tertium accedamus, quod in jure ſuo unicuique tribuendo, tam inter vivos, quam cauſa mortis conſiſtit; Et prior quidem pars totam contractuum materiam complectitur; ea enim verſatur, ut cum Tullio loquar *in hominum ſocietate tuenda, tribuendóque ſuum cuique, & rerum contractarum fide.* [d] Prius igitur de promiſſionibus, ſeu pactis in genere agemus, mox ad ſpeciales, & ſingulos contractus gradum collaturi.

II. *Dictū & promiſſum quomodo differant.*

II. Ad promiſſionum naturam per capiendam vel maximè ſpectat ut intelligamus eam, quæ inter dictum, & promiſſum eſt, differentiam, quam ſic explicat Juriſconſultus Ulpianus: *Dictum à promiſſo ſic diſcernitur, dictum accipimus quod verbotenus pronunciatum eſt, nudóque ſermone finitur: promiſſio autem poteſt referri, & ad nudam promiſſionem, ſive pollicitationem, vel ad ſponſum.* [e] Eſt igitur propriè promiſſio, quando quis ſe aliquid daturum vel facturum affirmat, aut negat. [f] Generaliter autem *pactum* à Juriſconſultis definitur *duorum pluriúmve in idem placitum conſenſus.* [g]

III. Per-

d *Cic. 1. de Offic.* e *L. ſciendum 19. Sect. dictum 2. ff. de Ædilit. edict.* f *Summa Silv. in verb. pactum.* g *L. 1. Sect. 2. ff. de pact.*

III. Pertinet igitur præcipuè ad naturam promissionum vel pactorum, consensus, in quo etiam consistit differentia inter pacta & pollicitationem, quæ est promissio facta alteri tacenti, & non roganti; *Promittimus rogati, pollicemur ultro,* [n] Cujus vis in eo consistit, ut obligationem in promittente quidem pariat, sed nullum jus proprium exigendi alteri tribuat: *Pactum est duorum consensus atque conventio, Pollicitatio verò offerentis solius promissum.* [i] Fit itaque sine interrogatione præcedente, & præsentiam non desiderat ejus personæ, cui pollicitatio fit. [k] Aliter se in pactis res habet, ubi semper accedere debet voluntas jus proprium alteri conferendi: *Non enim satis est dantis esse nummos & fieri accipientis, ut obligatio nascatur, sed etiam hoc animo dari & accipi, ut obligatio constituatur.* [l] Et alibi. *Ea sola dicta aut promissa admittenda sunt, quæcunque sic dicuntur, ut præstentur, non ut jactentur.* Et generaliter; *Multum interest commendandi causâ quis quid dixerit, an vero præstiturum se promiserit, quod dixit.* [n]

III. *Pactum & pollicitatio quomodo differant.*

IV. Imprimis verò examinandum est, quod jus naturæ circa pacta constituat; & unde ea obligatio originem trahat; utrumque nos docent hæc juris loca. *Pacti conventionisque fides servanda est.* [o] *Maximè contractus fides servanda est.* [p] *Fidem placiti servandam*

IV. *Quid jus naturæ circa pacta constituat eorumque obligatio.*

h *Donat. ad Ter.* i *L. 3. ff. de Pollicit.* k *Summa Silv. dicto loco.* l *Obligationum 3. Sect. 1. ff. de obligat. & act.* m *dicta l. sciendum 19. Sect. ea 3. ff. de Ædil. edict.* n *dicta l. sciendum in pr.* o *L. 7. Cod. de pact.* p *Circa 19. C. locat.*

vandam esse convenit. q Et paulò latius: *Siquidem nihil ità fidei congruit humanæ, quam ea, quæ placuerunt custodiri.* r Item: *Quid tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt servare?* s quod ipsum & *bonæ fidei* voce aliquando significatur, Ulpianus, *Nihil magis bonæ fidei congruit, quam id præstari, quod inter contrahentes actum est.* t Et Javolenus; *Bona fides exigit, ut quod convenit fiat.* u Quod egregie explicat Cicero his verbis: *Fides hæc non solum ad justitiam attinet, verum est ipsissimum justitiæ fundamentum, cui omnia hominum pacta conventaque nituntur:* x quod ipsum & his verbis postea repetit; *Fundamentum justitiæ fides, id est, dictorum conventorúmque constantia & veritas;* iterúmque, *Stoici qui studiosè exquirunt, unde verba sint dicta, aiunt, quia fiat quod dictum est appellatam fidem.* y Et alibi: *Fides nomen ipsum videtur habere, cum fit quod dicitur.* z Quod & secutus est ipse Augustinus, sic loquens: *Fides duabus suis syllabis significat, ut fiat quod dicitur.* a Ex quibus omnibus discimus nihil æquitati magis consentaneum esse, quam ut homines veraces sint in præstandis promissis, hoc enim est opus Justitiæ, quæ societatem humanam unicè sustentat. Et argumento est, quod ipse Deus, qui nullâ constitutâ lege obligatur, profitetur, se hac lege obligari velle, ut

q *L. Sicut* 12. *C de act. empt.* r *L. non minorem* 20. *Cod. de transact.* s *L.* 1. *ff. de pact.* t *L. ex empto.* 11. *Sect.* 1. *ff. de action. empt.* u *L. cum venderem* 21. *ff. loc.* x *Cic. de officiis.* y *eod. lib.* 1. z *Non ex Cic. de Rep.* a *Aug. Epist.* 19. *ad Hieron.*

ut promiſſis ſtet, nimirum quia id naturæ ſuæ convenit; hinc Nehemias, de promiſſione terræ Cananææ Abrahamo facta agens; *Impleſti verba tua quoniam juſtus es.* [b] Et alius: *Fidelis enim eſt qui repromiſit.* [c] Et iterum: *Ille fidelis permanet, negare ſe ipſum non poteſt.* [d] E contra verò: *Grave eſt fidem fallere.* [e] Quod & agnovit Tullius his verbis: *Fidem frangere perfidioſum, & nefarium eſt.* [f] Et vetus Comicus

Nam id hominum genus, hominibus
Univerſis eſt advorſum, atque omni populo malefacit
Malè fidem ſervando. [g]

Hinc & illud: *Fidem qui perdit nil poteſt ultra perdere.* [h] Et pœnam violatæ fidei ſic paucis deſcribit Poëta

Aget ægrum nocte diéque
Deſpecta & violata fides. [i]

Peccat autem non tantum contra charitatem, qui quod promiſit non præſtat, ſed etiam ingens ſæpe detrimentum ei infert, qui ſuam promittenti fidem adhibuit; Eſt igitur non tantum publica vox, violatorem fidei eſſe execrandum, ſed etiam ipſius naturæ.

V. Diviſiones pactorum ſunt variæ, quæ tamen omnes ſuum uſum habent: 1. *Pacta* enim *aut publica ſunt, aut privata*; Publica ſunt, quæ inter ſummas Poteſtates iniri ſolent, ut per pacem, vel fœdera; vel *quoties inter ſe Duces belli quædam paciſcuntur.*

V. *Pactorum diviſiones variæ ſpecies.*

b *Nehem. cap. 9. v. 8. in F.* c *Epiſt. ad Hebr. cap. 10. v. 23.* d *Paulus 2 Tim. cap. 2. v. 13.* e *L. 1. ff. de pec. conſt.* f *Cic. pro Roſc. com.* g *Plaut. Trinumm.* h *Publ. Syr.* i *Sil. Ital. lib. 13.*

tur. [k] Sed hæc noſtri non ſunt inſtituti. 2. *Privata, aut legitima ſunt, aut non ſunt*; Legitima ſunt, *quæ lege aliqua confirmantur*, [l] ut ſunt ſtipulationes, & conſtituta, [m] & omnes juris gentium contractus; quæ verò juris Romani non ſunt vallata præſidio, *pacta nuda* vocantur, quia in puris terminis juris naturalis manent; ideóque etiam de jure Romano actionem non pariunt. [n] Secus verò de jure Canonico, [o] cui ut in hac parte æquiori, mores noſtri ſe conformant. 3. Rurſus *alia pacta ſunt expreſſa, alia tacita.* [p] Expreſſa ea voco, in quibus conſenſus eſt expreſſus, id eſt, verbis vel literis ſignificatus. [q] Tacita verò, quæ vim ſuam exerunt *etiamſi nihil nominatim convenerit, quia enim conventiones etiam tacitæ valent, placet in urbanis habitationibus locandis, invecta illata pignori eſſe locatori.* [r] 4. Iterum: *pacta ſunt vel realia vel perſonalia*, & illa quidem, *quoties generaliter paciſcor nè petam*; hæc verò, *quoties nè à perſona petam: id eſt, nè à Lucio Titio petam. Utrum autem in rem an in perſonam pactum factum ſit, non minus ex verbis, quam ex mente contrahentium æſtimandum eſt.* [s] 5. Eſt & alia diviſio, quod *pacta quædam ſint obligatoria, quædam liberatoria*; priora obligationem inducunt, poſteriora verò eam tollunt, [t] quo ſpectant varii tollendarum obligationum modi, ut ſunt *acceptilatio, novatio,*

k *L. conventionum 5. Sect. 1. ff. de pact.* l *Legitima 6. ff. eod. tit.* m *l. 1. ff. de pec. conſt.* n *L. juris gentium 7. Sect. 4. ff. de pact.* o *cap. 1. X. de pact. ibique Gl.* p *L. 2. ff. de pact.* q *dicta l. 2 & l. 4. Sect. 2. eod. tit.* r *dicta l. 4.* s *L. juris gentium 7. Sect. 8. ff. dicto tit.* t *dicta l. legitima 6.*

catio, & ſimiles: [u] in quibus generalis eſt regula, *ut facilior quis eſſe debeat ad liberationem.* [x] 6. Denique & *pacta alia ſunt judicialia, alia extrajudicialia*, ad illam ſpeciem ſpectant prætoriæ ſtipulationes, [y] & aliæ, quæ in judiciis proponuntur; ad hanc vero ſpeciem omnia pacta quæ extra judicium ineuntur, & ubique obvia ſunt.

VI. Nunc ad perſonas veniamus; *Paciſci omnes poſſunt, qui conſentire*, etiam *Filiifamilias*: *Nam Filius-familias ex omnibus cauſis tanquam Pater-familias obligatur, & ob id agi cum eo tanquam cum Patre-Familias poteſt.* [z] Etiam *Servi*, ſed naturaliter tantum; *Illi enim ex contractibus civiliter quidem non obligantur, ſed naturaliter & obligantur, & obligant.* [a] Et cum omnibus paciſci poſſumus, cum quibus jus gentium nobis commune eſt, quales ſunt *peregrini, deportati,* [b] *hoſtes, transfugæ*, qui hoſtium loco ſunt, [c] *latrones, prædones:* [d] quibus omnibus fides ſervanda eſt. [e]

VI. *Qui paciſci poſſint.*

VII. *Prohibentur autem paciſci quidam naturâ, quidam lege*, & fundatur præcipuè ea prohibitio in defectu poteſtatis, vel in defectu voluntatis. Ad prohibitionem ex defectu poteſtatis pertinent illi, qui pacta ineunt contra, 1. Juſſa Dei, 2. Jus Naturæ, 3. Mandata Magiſtratus, & 4. Tenorem Legum Civilium: quæ omnia huic innituntur

VII. *Qui paciſci prohibentur, primò ex defectu poteſtatis*

u Tit. *Inſt. quib. mod. toll. oblig.* x *L. Arrianus* 47. *ff. de obl. & act.* y Tit. *de prætor. ſtip.* z *L. Filius-familias* 39. *ff. de obl. & act.* a *L. Servi* 14. *ff. eod. tit.* b *L. ſunt* 17. *Sect.* 1. *ff. de pœn. l deportatus* 15. *ff. de bon. damn.* c *L. fin. de legat.* d *L amiſſione* 5. *Sect* 1. *ff. de cap. min.* e *L. bona* 31. *& Sect.* 1. *ff. depoſ.*

tuntur principio, quod inferior contra superioris voluntatem nihil potest efficere, hoc enim esset agere extra Sphæram suæ activitatis, ut loquuntur Philosophi; Et de Deo quidem ex iis, quæ supra tractata sunt, res perspicua est, utpote qui supremum in omnes habet imperium. De naturâ verò, cui omnes quoque homines subsunt; hoc etiam nullam habet difficultatem. Generaliter enim novimus *Turpes stipulationes nullius esse momenti*; [f] *cumque sint contra bonos mores ea nec facere nos posse credendum est.* [g] De Magistratu verò ambigere non sinunt loca, quæ Magistratui omnino parendum evincunt. [h] Hinc *qui vetante Prætore fecit, videtur contra edictum feciſſe.* [i] Idque etiam ad Patres, & Dominos extenditur, adeò ut etiam *velle non credatur, qui obsequitur imperio Patris, vel Domini.* [k] Leges ipsas quod attinet, ea quæ contra Leges fiunt irrita esse vel hinc patet: *Quod jus publicum privatorum pactis mutari non potest.* [l] Et quod Prætor ea se tantum pacta servaturum dicit, *quæ neque adversus Leges, Plebiscita, Senatus-consulta, edicta Principum facta erunt.* [m] Denique & generaliter pronuntiatur: *Quoties pactum à jure communi remotum est, servari hoc non oportet: Et si stipulatio interposita sit de his, de quibus stipulari non licet, servanda non est, sed omnino rescindenda.* [n]

VIII. Ex

f *L. generaliter* 26. *ff. de verb. oblig.* g *Filius* 15. *ff. de cond. inst.* h *L. qui jussu* 167. *Sect.* 1. *ff. de reg. jur.* i *L. qui vetante* 102. *ff. eod. tit.* k *L. velle* 4. *ff. eod. tit.* l *l. jus* 38. *ff. de pactis.* m *l. juris gentium* 7. *Sect. ait* 7. *ff. de pact.* n *dicta l.* 7. *Sect. & generaliter* 16.

VIII. Ex defectu vero voluntatis paciſci naturâ vetantur, 1. Furioſi, 2. Infantes, item 3. Hi qui errant, & 4. Dolo vel metu inducti ſunt; lege vero civili etiam, 5. Impuberes, & 6. Prodigi: his enim omnibus voluntas ſibi conſtare non creditur, quibus talia adſunt impedimenta. De ſingulis videamus, & quidem furioſum, cum animi ſui impos ſit, ad ineunda pacta admitti non debere, ratio ipſa dictat; *Furioſus enim nullum negotium gerere poteſt.* [o] Et *furioſum, ſive ſtipulatur, ſive promittat, nihil agere naturâ manifeſtum eſt:* [p] ratio eſt, quia *nec intelligit quod agit,* [q] quæ etiam in Infante locum habent. [r] Accedit quod explicare intentionem ſuam per idonea mentis ſigna non valeat, cum & oratione, & ſcriptura deſtituatur; Sed quid de aliis, qui fari jam poſſunt, pubertatem vero nondum attigerunt, dicendum eſt? nobis certam regulam hac de re à naturâ non eſſe conſtitutam perſuaſiſſimum eſt; alius enim alio in uſu rationis maturior eſt; illud de jure naturæ conſtat, eum qui ſatis pollet judicio, ad rem de qua agitur perficiendam, etiam naturaliter poſſe obligari, quod ex quotidianis actibus dijudicandum. [s] Leges vero civiles, ut huic incertitudini obviam eant, diſtinguunt in Impuberibus, inter eos qui ſunt infantiæ, aut pubertati proximi; [t] Et pubertatem anno decimo quarto in Maſculis, in Fœminis vero duo-

VIII. *Secundò ex defectu voluntatis qui paciſci naturâ vetantur.*

o *l. in negotiis 5. ff. de reg. juris.* p *l. 1. Sect. furioſum 12. ff de obligg. & act.* q *Sect. furioſus 9 Inſt. de inut. Stip.* r *Sect. 11. eod. tit.* s *Hug. Grot. de jur. bell. lib. 11. C. de promiſſis, 11. N. 5.* t *Sect. ſed quod 14. Inſt. de inut. Stipul.*

duodecimo circumscribunt; annos vero minoris ætatis ad vigesimum quintum ætatis annum extendunt. Et in impuberibus quidem, quos & pupillos vocant, [u] obligationem efficacem non admittunt: *Obligari enim ex omni contractu pupillus sine tutoris auctoritate non potest, adquirere autem sibi stipulando, & per traditionem accipiendo, etiam sine tutoris auctoritate potest*, [x] naturalem tamen obligationem, ubi Pupillus locupletior est factus, agnoscunt [y] & quandoque etiam civilem. [z] Puberum vero alia est ratio, nam *Puberes sine Curatoribus suis possunt ex stipulatu obligari*, [a] ita tamen ut curatorem habens minor, bona sua vendendo nihil agat, sine curatore vero constitutus contraxerit, implorare in integrum restitutionem possit. [b] De errante vero, quod is revera non obligetur, hæc militat ratio, *quod nihil magis consensui contrarium est quam error, qui imperitiam detegit*; [c] quæ & latius sic confirmatur, *In totum omnia, quæ animi destinatione agenda sunt, non nisi verâ, & certâ scientiâ perfici possunt*; [d] *& quod non videntur, qui errant, consentire.* [e] Debet tamen hic adhiberi aliqua distinctio, si promissor se fundat in præsumptione quadam facti quod non ita se habet, naturaliter nullam ejus esse vim: si vero adsuerit quidem error, sed in quo fundata non fue-

u *L. pupillus* 239. *ff. de verb signif.* x *L. obligari* 9. *ff. de auth. pr.* y *L.* 13. 14. *ff. de cond. ind.* z *L.* 5. *& Sect.* 1. *ff. de auth. pr. l.* 3. *ff. comm.* a *L. Puberes* 101. *ff. de verb. oblig. l. obligari* 43. *ff. de oblig. & act.* b *L. si curatorem* 3. *C. de in. integ. restit.* c *L. si per* 15. *ff. de jurisd.* d *l. in totum* 76. *ff. de reg. jur.* e *l. nihil* 116. *Sect.* 2. *ff. eod. tit.*

fuerit promiſſio, ratum eſſe, quod actum eſt. [f] Idem judicandum de iis, qui dolo, vel metu inducti ſunt ad paciſcendum: *Nihil enim conſenſui tam contrarium eſt, qui & bonæ fidei judicia ſuſtinet, quam vis atq; metus, quem comprobare contra bonos mores eſt.* [g] Hinc Prætor ſic edicit: *Quod metus cauſâ geſtum erit, ratum non habebo*; olim ità edicebatur, *quod vi metúſve cauſâ; vis enim fiebat mentio, propter neceſſitatem impoſitam, contrariam voluntati, metus verò inſtantis vel futuri periculi cauſâ mentis trepidatione.* [h] De dolo verò ſic edicit Prætor: *Quæ dolo malo facta eſſe videntur, judicium dabo, Hoc edicto Prætor adverſus varios, & doloſos, qui aliis offuerunt calliditate ſuâ ſubvenit.* [i] *Dolum autem ex indiciis perſpicuis probari convenit,* [k] quæ omnia ſic etiam juncta leguntur: *Si metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapſus, ſtipulanti Titio promiſiſti, quod non debueras promittere, palam eſt jure civili te obligatum eſſe, & actio, quâ intenditur dare te oportere, efficax eſt, ſed iniquum eſt te condemnari, adéoque datur tibi exceptio quod metus, aut doli mali, aut in factum compoſita, ad impugnandam actionem.* [l] Eſt tamen inter metum, & dolum aliqua differentia, contractus enim metu initus, etiam de jure naturali tenet, etſi reſcindi debeat, [m] non item ille contractus cui dolus cauſam dedit, qui ipſo jure nullus eſt. [n] De prodigo vero hoc ſolum

f *Hug. Grot. dicto cap.* 11. *N.* 6. g *l. nihil* 116. *ff. de reg. jur.* h *l.* 1. *ff. quod met. cauſ.* i *L.* 1. *ff. de dol. mal.* k *l. dolum* 6. *C. de dolo malo.* l *Sect.* 2. *Inſt. de except.* m *Summa Silv. in verbo metus quæſt.* 8, n *ib. & elegantur.* 7. *ff. de dolo malo.*

lum afferemus, *quod is cui bonis interdictum est, stipulando sibi adquirit: tradere non potest, vel promittendo obligari.* o

Pactorum materia quæ.

IX. Veniamus ad pactorum materiam, quæ in omnibus iis, sive publicis sive privatis consistit, quæ in commercio sunt, & naturali vel civili lege in pactum deduci non prohibentur p, sive præsentes sint, sive absentes, sive etiam futuræ q, sufficit enim ut res promissa aut sit, aut esse possit in nostra potestate. Cæterum si nondum sit, sed futura speretur, in pendenti erit pacti efficacia, donec ad nos ea res pervenerit, & tunc tenebitur quis facere quicquid moraliter potuerit, ut id quamprimum fiat r, unde intelligimus rem alienam etiam in pactum deduci posse s. Prohibentur autem omnia de rebus illicitis pacta, ratione potestatis deficientis, ut supra attigimus. Illud ad hanc partem proprie pertinet, quod *Impossibilium nulla est obligatio* t. Nisi non simpliciter, sed certæ personæ sit impossibile u. Sic & prohibetur pactum fieri de re sacra, religiosa, publica, quippe cujus commercium non est x. Quæ omnia, & si qua alia hujus generis sunt, exceptionum loco notanda hic veniunt.

Pactorum forma.

X. Ad formam pactorum illud imprimis pertinet, ut omnino promissa ab altero acceptem-

o *L. ii cui. 6. ff. de verb. obl.* p *l. Si in emptione, 34. Sect. 1. ff. de cont. emp.* q *l. pactum. 46 ff. de pact.* r *l. interdum 73. ff. de verb. obl.* s *Hug. Grot. d. c. 11. Sect. 8.* t *l. Rem alienam, 28. ff. de cont. empt. l. 5. ff. de duobus reis.* u *l. Impossibilium. 185 ff. de reg. Jur. l. 31. l. 132. eod. tit.* x *l. continuat. 187. Sect. si abeo. 5. ff. de verb oblig. idem Juris. 3. Inst. de inut. stip. l. inter, 83. Sect. 5. ff. de verb. oblig.*

ceptentur, quia absque eo non sunt obligatoria, & ante acceptationem revocari possunt. Sed hæc aliáque huc pertinentia discere quis melius poterit ex latioribus aliorum commentariis [y].

XI. Illud non inutiliter hic quæri potest, an quia res in eodem statu non mansit, corruat ipsa pactorum efficacia? Nos distinguendum putamus, an talis mutatio, aut personarum, aut rerum inciderit, ut, si ea tempore pacti initi fuisset, promissor se obligaturus non fuerit, tunc enim intercidere obligationem, quia nimirum is rerum status unicam causam promittendi dedit: Sin vero alia minor mutatio inciderit, eam minimè curari, utpote accidens extrinsecum [z]. XI. *Quando corruat pactorum efficacia.*

XII. In interpretatione pactorum facienda, hæc omnino regula servanda est, ut pacta obscura contra proferentem sunt exponenda [a], utpote, *in cujus fuit potestate legem apertius conscribere* [b], aut ut alibi dicitur, *potuit re integra apertius dicere* [c]. Tum & hoc notandum est, pacta esse stricti Juris, atque ideo strictam recipere interpretationem; ita ut nihil actum intelligatur, nisi quod disertè verbis comprehensum est; *Ante omnia enim animadvertendum est, nè conventio in alia re facta, aut cum alia persona, in alia re aliáve persona noceat* [d]. XII. *Quæ regula in pactorum interpretatione faciendâ sit observanda.*

XIII. Ad effectum pactorum propriè pertinet, 1. quod ea obligent conscientias [e]. XIII. *Pactorum effectus.*

y *Hug. Grot. d. c.* 11. *Sect.* 14. 15. z *Summa Silv. in verb. pactum. q.* 4. *in fin.* a *Summa Silv. d. loc. qu.* 16. b *l. veteribus.* 39 *ff. de pact.* c *l. cum venderem.* 21. *ff. loc.* d *l. si unus.* 27. *Sect. pacta.* 4 *ff. de pact.* e *Summa Silv. d. loc. q.* 4.

Est enim ea vis obligationis naturalis, ut supra visum est. 2. quod impediant repetitionem: nam & hoc nomine obligatio naturalis æstimatur [f]. 3. quod pariant exceptionem [g]. 4. quod apta nata sint producere eos effectus, qui respondent actionibus fori Romani: quanquam enim actio ex pacto nudo eo Jure non detur, est tamen nudum pactum ejusdem cum contractibus efficaciæ, quoad jus ipsum naturale, ut quis quod sibi debetur consequi valeat [h].

CAPUT XVI.

De Contractibus in genere, & in specie de innominatis & Quasi-contractibus.

I. *Quid sit contractus.*

I. POst pacta veniunt contractus, ut potissima, & firmissima eorum species, quippe qui & Juris naturalis, & civilis præsidio muniuntur; describi autem contractus ita nobis posse videtur, ut sit *Pactum sive conventio in qua subest causa, quæ obligationem, & actionem parit* [i]. Labeo vocabat *contractum ultro citróque obligationem*, quod Græci συνάλλαγμα vocant [k]. Causa est, utpote *dedi tibi rem, ut mihi aliam dares, dedi, ut aliquid facias*, hoc συνάλλαγμα est [l]. Cum

f *l. naturalis.* 10. *ff. de obligat. act. l.* 9 *Sect.* 5. *& l.* 10. *ff. ad SConsultum Maced.* g *l. Jurisgentium* 7. *Sect.* 4. *ff. de pact.* h *Wesenb. in paratit. de pact. N.* 9. i *l. Jurisgentium.* 7. *Sect.* 2. *ff. de pact.* k *l. Labeo.* 19. *ff. de verbo sign.* l *d. Sect.* 2.

Cum igitur nulla subest causa propter conventionem, hic constat, non posse constitui obligationem, & proinde nullum esse contractum [m]; Et hoc illud est, quod JCti aliis in locis *negotium*, *vel civile negotium*, vocant [n]. Sic quando pactio inita est ob indicium de servo fugitivo faciendum, & nihil dum solutum est, tunc conventio ista *non est nuda*, *ut quis dicat ex pacto actionem non oriri*, *sed habet in se negotium aliquod*, *ergo civilis actio oriri potest.* [o] Sic in emptione venditione ea subest causa, ut alter rem tradat, alter pretium recipiat; in locatione conductione, ut alter rei usum cedat, alter mercedem det, & sic deinceps.

II. Origo omnium contractuum ex jure gentium descendere à Jurisconsultis dicitur, [p] & revera ex unius indigentia, alterius verò copia, contractus nati sunt; & in eo fundantur, quod benefacere alii aliis teneamur; præsertim quando id uni prodest, & alteri non nocet: *Sunt enim homines hominum causa generati*, *ut ipsi inter se alii aliis prodesse possint:* [q] Sed de his supra latius actum est, Capite 8. §. 3. Modus vero, quo contractus ex indigentia, & copia processerunt, ità facillimè considerari potest, si ponamus eum, qui aliqua re indigebat, ut puta pecore, habuisse triticum, quo alter egebat, hinc orta inter eos permutatio. *Sed quia non semper nec facilè concurrebat*, *ut cum tu haberes quod ego de-*

II. *Origo contractuum unde.*

m *d. l.* 7. *Sect.* 4. n *L. solent* 16. *ff. de præscr. verb. L.* [illegible] *ff. de Æstimatoria.* o *d. l.* 16. p *d. l.* 7. *in pr.* q *Cic. off.* 1.

fiderarem, invicem haberem quod tu accipere velles, electa materia est, cujus publica & perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis, subveniret, [r] pecunia nempe, quæ si tibi, qui aliquid comparare volebas, ad manum esset, facile inter nos emptionis venditionisque contractus iniri potuit, cum pecunia sit communis mensura, quâ omnia æstimantur, & quam propterea quisque sibi appetit, & sic is modus in aliis quoque contractibus potest investigari.

III. *Species contractuum recensentur & definiuntur.*

III. Omnes Juris gentium contractus, de quibus jam agimus, dividuntur in duas species, aliqui enim consistunt in solo consensu, qui promissione constat, atque ità sola conventione perficiuntur; sic tamen ut subsit causa, in futurum adimplenda: Alii vero ab ipsa rerum traditione principium sumunt, atque ità statim causam suam ex parte adimpletam habent, & alterius implementum ab altera parte exspectant. Priores nudo consensu perficiuntur; posteriores ex re tradita initium obligationis sumunt; *Nam si res nondum tradita sit, nudo consensu obligationem inducemus: quod in his duntaxat receptum est, qui nomen suum habent, ut in emptione, venditione, conductione, mandato; unde & contractus nominati dicuntur; quia in proprio nomine non stant, sed transeunt in proprium nomen contractus* [s]. Posteriores vero *traditione facta* incipiunt; *si alter rem nolit tradere* [u], & tunc datur actio præscriptis verbis, sive civilis

r *L. 1. de cont. empt.* s *l. 1. ff. de rer. perm.* t *d. l. 7. in pr.* u *d. l. 1. Sect. 4.*

vilis actio in factum, iique contractus innominati vocantur. *Nam ceſſantibus judiciis proditis, & vulgaribus actionibus, cum proprium nomen invenire non poſſumus, facile deſcendimus ad eas, quæ in factum appellantur* [x]. Cujus rei ratio eſt, quod *Naturâ rerum ità conditum eſt, ut plura ſint negotia, quam vocabula* [y]. Unde *cum deficiant vulgaria, atque uſitata actionum nomina, præſcriptis verbis agendum eſt* [z]. Illud omnino notandum, diſtinctionem hanc non eſſe de Jure naturali, ſed de Jure tantum Civili, quod ſemel hic monuiſſe ſufficiet. Contractus nominati quam ſortiantur naturam, ex ſingulis diverſum nomen habentibus inferius ſuis locis examinabimus; de innominatis vero ſub uno quaſi faſce, quia unius ſunt generis, hic prius agemus. Conſtant autem ii his quatuor ſpeciebus, 1. *Do ut des*, 2, *do ut facias*, 3. *facio ut des*, 4. *facio ut facias* [a].

IV. Contractus innominatus *do ut des*, ad emptionem, & venditionem proximè accedere videtur, revera tamen aut permutatio eſt, aut certè eam ſub ſe complectitur, ut genus ſpeciem: Nam in emptione venditione agitur quidem, ut pecunia accipiatur, ut res detur; in permutatione vero res pro re datur, quod proprium eſt hujus contractus *do ut des* [b]; Cæterum ut latius patere putem hunc contractum, hanc habeo rationem, quod non tantum res pro re dari poſſit, aut pecunia pro re, de quibus

IV. *Contractus innominatus do ut des, quid?*

x *l.* 1. *ff. de præſt. verb.* y *l.* 4. *ff. d. tit.* z *l. nam cum* 2. *ff. d. tit. al. naturalis* 5. *ff. de præſcript. verb.* b *d. l.* 5. *Sect.* 1.

bus jam egimus; sed etiam pecunia pro pecunia, unde contractus promanat, qui olim collybi, nunc vero cambii gerit nomen, de jure vero Romano, proprio nomine cognitus fuisse non videtur; deinde etiam usus rei in contractum hunc innominatum cadit; unde præterquam quod pro usu rei pecunia dari potest, quod proximè accedit ad locationis conductionis contractum, potest etiam accidere, ut usus rei pro re, aut etiam usus rei pro usu alterius rei detur, quæ omnia huc pertinent.

V. *Contractus do ut facias, quid?*

V. Alter contractus *do ut facias*, si tale *sit factum, quod locari solet, puta ut tabulam pingas, pecuniâ datâ, locatio erit, sicut superiore casu emptio; si res, non erit locatio sed nascetur civilis actio. Quod si tale sit factum, ut locari non possit, condici ei potest, vel præscriptis verbis agi.* [c] Ex quo loco discimus, non tantum hunc contractum affinem esse locationi, & conductioni, sed etiam quæ actiones de jure civili indè competant; Certè latè admodum se hic contractus extendit, ut puta cum datur tibi servus, ut tu alium tuum servum manumittas. [d] Et sub verbo dandi, etiam usus rei, & datio pecuniæ veniunt.

VI. *Contractus facio ut des, quid?*

VI. Sequitur contractus *facio ut des*, qui locum habet cum aliquid ab una parte præstatur, ut ab altera aliquid detur, de hoc quid censendum sit, ex prioribus abunde innotescit. Cæterum videtur hic contractus in producenda actionis specie ab aliis differre, juxta doctrinam Jurisconsulti Pauli; *Quod si faciam ut des, & posteaquam*

[c] *d. l. 5. Sect. 2.* [d] *d. Sect. 2.*

feci cessas dare, nulla erit civilis actio, & ideo de dolo dabitur. [e]

VII. Ultimus contractus *facio ut facias*, latissimè se extendit, utrimque enim *faciendi* se offert vocabulum, quod quamplurimos actus complectitur, sive ut Jurisconsultus loquitur, *hæc species tractatus plures recipit.* [f] Certè huc etiam spectare videtur contractus, qui inter Dominum & Vasallum initur, quo Dominus Tutelam Vasallo, & protectionem promittit, Vasallus vero servitia Militaria Domino pollicetur. Sunt etiam certi casus in quibus hic contractus ad naturam mandati accedere dicitur. [g] Cæterum & de actione, quæ ex hoc contractu dari debeat, apud veteres disputatum fuit, Juliano tenente *in factum actionem à Prætore dandam*; Mauritiano vero, *civilem incerti actionem, id est, præscriptis verbis sufficere.* [h]

VII. *Contractus facio ut facias, quid?*

VIII. Præcipua, quæ inter nominatos, & innominatos contractus, de jure civili, est differentia, in eo consistit, quod in nominatis contractibus non datur pœnitentiæ locus; Nam *sicut initio libera potestas unicuique est habendi, vel non habendi contractus: ità renuntiare semel constituta obligationi, adversario non consentiente, nemo potest.* [i] Ideoque etiam in contractu emptionis res tradi, aut interesse præstari omnimodo debet. [k] In contractibus vero innominatis, re integrâ, locum habet pœnitentia, *cum liceat pœnitere ei qui dedit.*

VIII. *Præcipua differentia inter nominatos & innominatos contractus de jure civili.*

e *d. l.* 5. *Sect.* 3. f *d. l.* 5. *Sect.* 4. g *d. Sect.* 4. h *d. l.* 7. *Sect.* 2. *ff. de pact.* i *l. sicut* 5. *C. de oblig. & act.* k *l.* 1. *l. ex empto.* 11. *Sect.* 2. *ff. de act. empt.*

dit. [l] Imo etiam si res jam aliquo modo integra esse desierit; ita tamen ut impensarum factarum ratio habeatur. Alias vero, si quis ad interesse agere nolit, sed suum quod jam dedit repetere velit, repeti id quod datum est potest. [m]

IX. *Contractus bonæ fidei & stricti juris quid?*

IX. Est & alia divisio ex ipsa contractuum natura desumpta, quod *alii sunt bonæ fidei, alii stricti juris.* [n] Quæ divisio licet non satis ex arte sit composita, non enim habet partes sibi directè oppositas, potest tamen propter frequentem in jure usum tolerari; Non quidem eo sensu quo bona fides malæ fidei & dolo opponitur. [o] *In omni enim contractu mala fides itémque dolus abesse debent.* [p] Sed eo sensu quo plus, & minus inter se opponuntur, nimirum *ut aliqui contractus ratione bonæ fidei magis exuberent, quam alii,* ii nempe, *ex quibus alter alteri obligatur de eo, quod alterum alteri ex bono & æquo præstare oportet.* [q] Et in quibus major, & latior potestas judici fit, solet enim à Prætore in formula addi *ex fide bonâ,* vel *quantum æquius melius sit dari* [r], vel *quod dare facere oportet ex fide bona,* [s] & generaliter, *Tantundem in bonæ fidei judiciis officium Judicis valet, quantum in stipulatione nominatim ejus rei facta interrogatio.* [t] Largior itaque sit interpretatio in bonæ fidei judiciis, quam in iis, quæ sunt

l L. si pecuniam 5. *de cond. caus. dat.* m *d. l.* 5. *Sect.* 1. *ff. præscr. verb.* n *Sect. actionum* 29. *inst. de act.* o *l. ea vero* 3. *ff. pro soc. l. & hæc* 35. *ff. locat.* p *l. bonam fidem* 4. *C. de oblig. & act. l. contractus* 23. *ff. de reg. jur.* q *l.* 3. *& 5. ff. de obl. & act.* r *Cic. in orat. pro Rosc. com.* s *id. off.* 3. t *l. quis* 7. *ff. de neg. gest.*

sunt stricti juris, in quibus stricte omnia capiuntur, *quicquid enim adstringendæ obligationis est, id nisi palam verbis exprimitur, omissum intelligitur.* [a] Et diversi sunt in iis judiciis effectus, qui judiciis stricti juris non conveniunt, *bonæ fidei judicia non recipiunt interpretationem, quæ contra bonos mores defideretur.* [x] *Nec iniquam aliquam patiuntur conventionem.* [y] *Quæ moris & consuetudinis sunt in his judiciis veniunt.* [z] Hinc etiam *fructus in his judiciis præstantur bonæ fidei ratione.* [a] Neque fructus tantum, sed id etiam, quod res deterior facta est, & cætera ejus generis. *Judici enim statim atque judex factus est, omnium rerum judicium incumbit quæcunque in judicio versantur.* [b] Sed & has, & alias differentias inter hæc duo contractuum genera, & actiones ad utrumque genus pertinentes, apud Jurisconsultos suis locis facilè est invenire, [c] quæ omnia juri naturali satis consentanea sunt.

X. Illa certè contractuum divisio, quâ totum in partes, vel potius genus in species suas disjungitur, omittenda non est; Nimirum contractus omnes, 1. Aut re contrahi, 2. Aut verbis, 3. Aut literis, 4. Aut consensu, [d] quos quatuor contrahendi modos appellant alii. [e] Erit enim hæc nobis divisio vel maximè usui, quippe quibus singulas partes suo ordine prosequi constitutum est.

X. *Communis & maximè usitata contractuum divisio.*

XI. Sed

u *l. quicquid* 99. *ff. de verb. oblig.* x *l. generaliter* 55. *ff. de usur.* y *l. emptor* 11. *Sect. fin ff. de action. emt.* z *l. quod* § 31. *Sect. quia* 20. *ff. de Ædil. ed.* a *l. venditor* 21. *ff. de hæred. vend.* b *l. Ædiles* 25. *Sect. item* 8. *ff. de Ædil ed.* c *D. D. ad d. Sect. actionum inst. de act.* d *Sect. fin. inst. de oblig.* e *Summa Silv. in verb. contractus quæst. sexta.*

XI. *Quid sint Quasi-contractus eorumque species.*

XI. Sed priusquam id faciamus, aliquid etiam de Quasi-contractibus subnectendum est, & hi quidem contractuum nomine venire minimè possunt; nam hic revera non intervenit consensus utriusque, neque quis ex proprio suo facto obligatur, neque præsentia requiritur, sed aliquando hic etiam ignorans, absens, imo & invitus condemnatur, [f] quia tamen obligationes, & actiones indè descendentes frequentem habent usum, etiam aliquid de eorum naturâ in medium afteremus; Enumerantur sex eorum species, 1. Negotiorum gestio, 2. Tutelæ administratio, 3. Communio rerum, 4. Communio hæreditatis, 5. Debita legatorum præstatio, 6. Et solutio indebiti.

XII. *Quo jure introducti fuerint.*

XII. Constat igitur hos Quasi contractus non produci a naturali jure, cum quia consensum pro fundamento non habent, & variis juris civilis fictionibus innituntur, tum quia tota eorum virtus versatur in actionibus, quas pariunt; actione nimirum negotiorum gestorum, tutelæ, communi dividendo, & sic deinceps: Omnes autem actiones sunt juris civilis ut & supra monuimus [g]. Quod ut etiam per singulas partes demonstremus, perspicuum est negotia sine mandato gesta de jure naturali alium alii non obligare; Est itaque hoc jure civili introductum, non tamen refragante naturâ *quoniam magna utilitas absentium versatur nè indefensi sint.* [h] Sic etiam tutelam Pupillorum jus naturale non agnoscit; Est igitur hoc inventum juris civilis, unde dicitur

[f] *tot. tit. inst. de oblig. quæ ex quasi cont.* [g] *l. 2. Sect. deinde 6. ff. de orig. jur.* [h] *l. 1. ff. de neg. gest.*

citur *jure civili data ac permissa*, [i] suadente tamen aliquatenus naturâ, *cui conveniens est, ut is qui perfectæ ætatis non sit, alterius tutelâ regatur.* [k] Ut à communione aut rerum, aut hæreditatis possit recedi, est meræ facultatis, cui jus quidem naturale non resistit; jus vero civile etiam auctoritatem suam accommodat, modúmque & formam divisioni præscribit. Circa legatorum præstationem naturale jus nihil statuit, nisi ut debeantur, quomodo autem peti & obtineri possint, juris civilis est. Denique, ejus quod indebitè solutum est, repetitio, etsi Jurisconsulto Paulo naturalis dicatur, [l] revera tamen, si primam originem inspicimus, non est, cum potius eo jure donatum videri possit: nam illa regula, quæ donationem præsumi negat, è jure civili descendere censenda est, quâ tamen semel positâ, & stabilitâ, consequens est, ut aliquis ignoranter quid solvendo tanquam debitum, quod tamen sit, repetere id naturali ratione concedatur.

i *Sect. est autem* 2. *Inst. de aut.* k *Sect. Impuberes* 7. *Inst. de auth. tut.* l *L. indebiti* 25. *ff. de cond. indeb.*

CAPUT

CAPUT XVII.

De Contractibus qui re perficiuntur.

I. *Contractus qui re perficiuntur numero quatuor.*

I. ORdo materiæ nos perduxit ad *Contractus qui re perficiuntur*, illi enim in divisione, superiore Capite §. 10. posità, priore loco recensentur; Sunt autem quatuor numero (nam de indebito, ut ad Quasi-contractus potius pertinente, jam ante egimus) nempe *mutuum*, *commodatum*, *depositum*, & *pignus*. Qui omnes indè dicuntur re contrahi, quod præter consensum, qui in omni contractu est necessarius, necesse est ut etiam res ipsa interveniat, antequam ex his contractibus, aut obligatio, aut actio oriatur. Neque enim sola conventio de mutuando, exempli gratiâ, facit contractum mutui; aliud est enim contractus, aliud promissio de contrahendo; sed rem ipsam tradi oportet, antequam ulla ad restituendum nascatur obligatio, & sic in cæteris hujus naturæ contractibus.

II. *Necessitas & origo horum contractuum.*

II. Necessitas & origo horum contractuum sic facillimè comprehendetur, si ponamus aliquem re certâ indigere, neque reperire alium, qui eam sibi donare velit, neque emptionem celebrari integrum esse; Is certè cogitabit de re illâ sibi acquirendâ sub promisso restitutionis, & tunc si res sit fungibilis, promittet restituere tantundem, cui si alter acquiescat, atque ità rem tradat, statim nascetur contractus *mutui*; si

si verò res sit alterius naturæ, promittet eandé restituere, atque ità orietur contractus *commoditati*. Sin verò quis videat sibi sub tali promissione non satis credi, tunc is confugiet ad cautionem, sive personalem, id est, *fidejussoriam*, de qua alibi; vel realem, id est *pignus*, qui contractus hujus est loci; Denique si quis de re suâ pro tempore velit disponere, ut ea sarta tecta servetur, recepturus ubi placuerit, is hominem eliget, cujus fidei eam commendet, atque ità inibit contractum *depositi*.

III. Primò autem se offert *contractus mutui, qui celebratur datione verâ vel fictâ rei, consistentis in pondere, numero, vel mensurâ, cum spe recipiendi tantundem in genere suo ejusdem bonitatis, & qualitatis.* [m] Vel secundum alios, consistit in re ex suo usu consumptibili penitus, cujus proprietatem quis in alium transfert, recepturus deinde non aliam rem, non numero, sed eandem specie, aut valore. [n] *Mutuum* Jurisconsulti indè appellari dicunt, quod *de meo tuum fit*; [o] quod naturam potius contractus tangit, quam Etymologiam nominis; alii nomen *mutui* à μοῖτο voce Sicula derivant. Propius ad Jurisconsultos accedemus, si dicamus, mutui vocem ex duabus Græcis μὲ τίον conflari, quod *meum tuum* significat. Ex superioribus constat plura ad substantiam mutui requiri, nimirum, ut non idem corpus, quod traditur, restituatur: ut illud quod redditur sit ejusdem generis: ut

III. *Contractus mutui qua in re consistat & quomodo celebretur*

m *Sect.* 1. *inst. quib. mod. re contr. obl. l.* 2. *Sect. fin. ff. si cert. pet.* n *Summa Silv. in verb. mutuum.* o *d. Sect. & inst. d. l.* 2. *Sect.* 2.

ut res de quibus mutuum contrahitur in numero, pondere, vel mensura consistant, ut sint uniformes bonitate, & æqualitate, & in genere suo functionem recipiant, ut Dominium rei statim in accipientem transferatur: quæ omnia ex supradictis pendent, atque inde facillimè colliguntur.

IV. *An ex datione pecuniæ mutuo liceat aliquid lucrari?*

IV. Quæri hic solet an, jure naturæ, ex datione pecuniæ cum onere restitutionis, liceat aliquid *lucrari*, & quid de jure civili? Primum quod attinet sciendum est, *lucrum* quod inde potest sperari *esse duplex*, *unum* est, *quod habet rationem ejus quod interest*, *alterum quod eam rationem excedit*. p Lucrum, quod rationem ejus quod interest habet, ex usu pecuniæ percipi, juri naturali non repugnat: Cum enim ex usu jumenti, domûs, fundi, aliquid lucri nobis possit accedere, quid ni etiam ex usu pecuniæ? Unde etiam ab initio talem inire conventionem, in qua lucrum illud mutuo consensu taxatur ad certam summam, isto jure nemo prohibetur, ità tamen, ut ratio habeatur repensandi damni, quod quis facit tamdiu pecunia carendo, & lucri, quod absq; eo verisimiliter fuisset facturus, item periculi amittendæ sortis, ut pluribus probat, & argumentis contrariis respondet auctor commentarii de jure belli, & pacis. q Verum quidem est eam conventionem ad locationem conductionem quam proxime accedere, mutui verò nomine non venire; sed hoc ad quæstionem nostram, de jure naturali institutam, non pertinet; cum eo jure con-

p *Varro libr. 4. de ling. lat.* q *Hugo Grot. de jure belli lib. 11. c. 12. Sect. 20. 21.*

contractibus ſingulis nomen proprium, & natura ſua non ſit aſſignata, quod juri civili, etſi fortè multis gentibus communi, debemus, ut hìc tantum de voce quæſtio ſit. Illud tamen perpetuo obſervandum, nè talis lucri, damni, & periculi taxatio veram rationem ejus quod intereſt excedat, tunc enim abeſſet æqualitas, quam jus naturæ ſemper conſiderat, atque eo modo talis conventio in fœnus illicitum degeneraret. De jure vero civili non tantum permittitur illa lucri ſpecies, quæ ejus, quod intereſt naturam ſapit, & ab aliis plerumq; *uſura* vocatur: ſed etiam illa altera, quæ *fœnoris* nomine venit, ut in *fœnore nautico*, & aliis locis videre eſt: Imo & generaliter eo jure pretium illud, quod pro datione pecuniæ exigi poteſt publicè taxatur, & quidem cum aliqua diſtinctione hominum, qui pecunias ſuas elocant; [r] quæ conſtitutio, quatenus æqualitatem ſervat, juri naturali non adverſatur. [s]

V. Offert ſe hìc etiam alia quæſtio *de culpa, ad quam quis in mutuo obligatur*, quæ tamen etiam propriè jus naturale non tangit, atque ità civilis tantum juris eſt, quia tamen ea & in aliis contractibus occurrit, breviter hoc dicemus. In quibuſdam contractibus contrahentes præſtare debent latam culpam, in aliis levem, in aliis lævisſimam. *Latæ culpæ finis eſt non intelligere quod omnes intelligunt.* [t] Et iterum: *Magna negligentia culpa eſt.* [u] Unde & alibi: *Hæc*

V. *Ad quam culpam in mutuo quis obligetur.*

r l. 103. C. de uſur. s Hug. Grot. d. cap. Sect. 23. t L. la. 223. de verb. ſign. u L. magna 226. eod. tit.

Hæc culpa, lata negligentia vocatur, [x] & locum habere dicitur etiam, cum quis ad suum modum curam non adhibet. *Nec enim, salvâ fide, minorem alienis, quam suis rebus, diligentiam præstabit.* [y] Hæc lata culpa utpote dolo proxima præstari debet *in mandato, commodato, vendito, pignore, societate, locato*, &c. Et ratio est, quia hic *utriusque utilitas* vertitur. [z] *Levis* vero *culpa est*, [a] cum quis facit, quod nemo diligens paterfamilias faceret, *Nec sufficit tantam diligentiam adhibuisse, quantam suis rebus adhibere solitus est, si modo alius diligentior poterat melius curare* [b]. Aut ut Paulus Jurisconsultus loquitur, *culpa hæc est quod cum à diligente provideri poterat, non est provisum.* [c] Et hæc quandoque etiam *custodia* vocatur, *quando ea, quæ diligens paterfamilias in suis rebus præstare solet à creditore exiguntur.* [d] Quod præcipuè in commodato evenit, *quia plerumque solam utilitatem continet ejus cui commodatur*, [e] *lævissima* verò *culpa*, cum quis facit, quod diligentissimus Paterfamilias non faceret, sive quando quis exactissimam diligentiam adhibere debet, & hæc quidem incommodato [f], & in lege Aquilia præstatur. [g] In mutuo vero non tantum omnes hæc culparum species locum habent, verum etiam ipse *casus* for-

x *L. competere* 7. *Sect.* 2. *ff. de adminis. tut.* y *L. quod verba* 32. *ff. de pos. l. hæredes* 25. *Sect. non tantum* 16. *ff. Fam. ercis.* z *L. contractus* 23. *ff. de reg. jur.* a *L. si ut* 5. *ff. commod.* b *Sect. item is* 3. *Inst. quib. mod. re contr. oblig.* c *L. si putator* 31. *ff. ad leg. Aquil.* d *L. si cum* 13. *cum l. seq. ff. de pignor. act.* e *d. l.* 5. *ff. commod.* f *C. unic. X. commod.* g *L. in lege* 44. *ff. ad l. Aquil.*

fortuitus, [h] qui tamen alias præſtari non ſolet [i]. Neque tamen hoc mirum videri debet, quia mutuatarius ſit Dominus pecuniæ. *Nam ſi ejus non fiat, non naſcitur obligatio.* [k] Eſt autem Juris notiſſimi rem ſuo Domino perire. [l]

VI. *Commodatum* autem *eſt alicujus rei in certum uſum gratuita conceſſio, ut eadem ſpecies nobis reddatur.* [m] Gratuitam conceſſionem dicimus, non hoc ſenſu, quaſi de jure naturæ pro uſu rei noſtræ, quem alii concedimus nihil omnino peti poſſit, ſed quod talis conventio tranſitura ſit in aliud genus contractus, locationem nimirum, ſi merces in pecunia numerata pro uſu rei detur, ſi vero ea in alia re conſiſtat, in contractum innominatum. [n] Quod de certo uſu additur id ideo ſit, ut commodatum à precario diſtinguatur, nam commodatum in eo conſiſtit, ut certus, & expreſſus rei ſit uſus; ideóque etiam certum tempus, vel expreſſe vel tacitè contineat, quo uſus iſte commodè expediri poſſit, ut ante id tempus revocari nequeat. [o] *Precarium* vero *nec ad certum uſum, nec ad certum tempus datur*, quam ob cauſam etiam, quandocunque concedenti placuerit, revocari poteſt. [p] Impropriè igitur loquitur Juriſconſultus cum dicit; *eſſe naturâ æquum tamdiu te liberalitate meâ uti, quamdiu ego velim, & ut poſſim*

VI. *Contractus commodati qua in re conſiſtat & quomodo à precario diſtinguatur.*

M

h *d. Sect.* 3. *Inſt.* i *d. l. contractum* 23. k *L.* 1. *Sect. appellata* 2. *ff. ſi cert. pet.* l *L. pignus* 9. *C. de pign. act.* m *Gl. in C. unic. X. comm. Summa Silv. in verb. commodatum.* n *L.* 1. *Sect.* 9. *ff. depoſ. l.* 5. *Sect.* 2. *ff. de præſcr. verb.* o *L. in commodato* 17. *Sect. ſicut* 3. *ff. commodat.* p *L.* 1. *ff. de prec. ibique D. D.*

possim revocare cum mutavero voluntatem. [q] Hoc enim naturæ precarii satis quidem convenit, non vero naturæ commodati, atque ita ea ratio magis juris civilis, quam naturalis est. Eandem speciem nobis reddi debere cum dicimus, intelligi indè potest, commodatum non in genere, sed in certa specie vel potius individuo consistere, idóque etiam in eadem illa specie, vel potius individuo restituendum [r]. Hoc etiam in hac materia notandum; Dominium, & possessionem rei commodatæ in commodatarium non transire, sed apud commodantem manere, [s] quibus duabus præcipuè notatis commodatum à mutuo distinguitur; Denique & illud addendum, commodatum consistere in rebus immobilibus, mobilibus, corporalibus, & incorporalibus, puta habitatione, non vero in iis, quæ usu consumuntur, [t] itémque omnes commodare, & omnibus commodari posse, qui possunt contrahere. [u]

VII. *In commodato quæ præstentur.*

VII. In commodato (ut statim attigimus) dolus, itémque lata, levis, & levissima culpa præstatur: *Talis enim diligentia præstanda est, qualem quisque diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibet.* [x] Et ratio est, quia commodatum *plerumque sola utilitatem continet ejus cui commodatum est*, & ideo verior est sententia & *culpam præstandam & diligentiam.* [y] Sed quid de casu fortuito dicemus? Certè cum in tracti-

q *l.* 3 *Sect.* 2. *ff. d. tit.* r *l.* 2. *ff. de reb. cred.* s *l. rei commodatæ* 8. *ff. commod.* t *l.* 1. *Sect.* 1. *ff. comm.* ibique *Castr.* u *Summa Silv. in verb. commodato.* x *L. in rebus ff. d. tit.* y *L.* 5. *Sect.* 1. *eod. tit.*

tractibus non præstari & supra diximus, & in commodato id satis clarum est. [z] Et nihilominus tres sunt casus, in quibus etiam casum præstare debet commodatarius, nempe, *si acciderit culpâ suâ*, vel *intervenerit pactum*, vel *in morâ fuisset*. [a] Et de priore quidem casu sic loquitur Justinianus, *si id quod tibi commodatum est domi, peregrè tecum ferre malueris, & vel incursu hostium prædonumve, vel naufragio amiseris, dubium non est, quin de restituendâ eâ re tenearis.* [b] De secundo vero patet: *Quia contractus legem ex conventione accipiunt.* [c] De postremo vero non magis ambigi potest, quia idem etiam in depósito receptum est. [d] Plura de hac materia apud D. D. suis locis reperire est.

VIII. Contractus depositi quomodo perficiatur.

VIII. Nunc ad contractum *depositum* veniamus, qui *est contractus, quo res mobilis alicui gratuitò custodienda datur, ut ea ipsa postea restituatur.* Tria enim propriè ad essentiam depositi requiruntur, ut nempe partes hoc ab initio agant, ut eadem res restituatur, [e] quod hic contractus cum commodato commune habet; Deinde ut custodiæ causa ea res tradatur. [f] Quo solo fere ab aliis contractibus distinguitur: nam si depositario uti ea re liceat, manet quidem idem nomen, cæterum a naturâ contractus deflectitur [g]. Denique ut fiat gratuito;

M 2

z *d. l. in rebus.* a *C. unic. X. de commod.* b *Sect. item in 3. inst. quib. mod. re contr. oblig. l. 1. Sect. 4. in f. ff. de obl. & act.* c *L. 1. Sect 6. ff. depos. d. l. 5. ff. commod. l. 1. Cod. eod. tit.* d *C. bona fides 2. X. depos. l. 12. Sect. fin. ff. depos.* e *Sect. præterea 4. inst. quib. mod. re contr. oblig.* f *L. 1. ff. depos.* g *l. Lucius 24. l. 25. Sect. 1. ff. eod. tit.*

tuitò; *Est enim contra bonam fidem, & depositi naturam, usuras ab eo stipulari:* Si etiam pro custodia merces interveniat, transibit in alium contractum. [h]

IX. *Depositi species tres exponuntur.*

IX. *Depositum*, voce generaliter acceptâ, tres fere habet species: *Prima* est, quando debitor offert creditori suo pecuniam, eamque creditore accipere recusante, ad evitandum cursum usurarum in præsentiâ testium consignatam in locum publicum deponit, quæ oblatio realis cum consignatione pecuniæ vim plenæ liberationis habet. [i] *Altera* est, quando res litigiosa alicui traditur servanda, donec ex causæ cognitione constet, cui debeatur, & appellatur *sequestrum.* [k] Et hæ quidem duæ species ad judicialia pertinent. *Tertia* est depositum simplex, de quo propriè hic agimus; Sed & hoc duorum est generum: Primum, quod merè voluntarium est, cum amicus apud amicum rem custodiendam deponit, recepturus eam ubi voluerit. [l] Alterum cum tumultus, incendii, ruinæ, aut naufragii causa deponit, *quæ est fortuita causa depositionis ex necessitate descendens, non ex voluntate proficiscens.* [m] Hæc duo in hoc differunt, quod cum quis fidem elegit, nec depositum redditur, contentus esse debet simplo, cum verò extante necessitate deponat, crescit perfidiæ crimen; & publica utilitas coërcenda est, *vindicandæ Reipublicæ causa*, est enim inutile *in causis ejusmodi fidem frangere.* [n]

X. Vi-

[h] *L. 1. Sect. 8. & 9. ff. eod. tit.* [i] *L. acceptam 19. C. de usur. l. obsignatione 9. C. de Solut.* [k] *L. 6. & 17. ff. depos.* [l] *L. 1. Sect. 2. ff. eod. tit.* [m] *d. l. 1. Sect. 1. & 2. ff. eod. tit.* [n] *d. l. 1. Sect. hæc autem 4.*

X. Videamus nunc, quid præſtare depoſitarium conveniat, & generaliter quidem verum eſt, *quod ex eo ſolo tenetur, ſi quid dolo commiſerit, culpæ autem nomine, id eſt, deſidiæ, & negligentiæ non tenetur, quia qui negligenti amico rem cuſtodiendam tradit, non ſtare ei, ſed facilitati ſuæ id imputare debet.* o Sciendum tamen hic ſub nomine doli latam quoque culpam comprehendi. p Imo etiam aliquando culpam leviſſimam, & caſum quoque fortuitum præſtari debere, non tantum propter culpam, pactum & moram, ut in commodato diximus; ſed etiam ſi depoſitarius ſe depoſito obtulit, tum enim & culpam & cuſtodiam præſtare debet; q Item ſi quid pro cuſtodia accepit. r Eſt & hoc notatu dignum, quod tria in hoc contractu ſingularia occurrunt: *Primum* eſt, quod in depoſito compenſatio ceſſat s; 2. Quod hic non poteſt opponi exceptio Dominii. t 3. Et quod etiam prædoni, & latroni ſpolia depoſita reddenda ſunt. u

X. *Quid conveniat depoſitario præſtare.*

XI. Reſtat ut & *de pignore* aliquid dicamus; *Eſt autem pignus obligatio rei mobilis pro debito facta, ad ſecuritatem Creditoris.* x Eſt igitur hic contractus acceſſorius, & conſiſtit tantum in re mobili: *pignus enim appellatum à pugno, quia res, quæ pignori dantur, manu traduntur.* y De re vero immobili proprie vox *hypothecæ* uſurpatur,

XI. *Contractus pignoris qua in re conſiſtat.*

M 3

o *d. Sect. præterea.* p *L. quod Nerva* 32. *ff. eod. tit.* q *L.* 1. *Sect. ſæpe* 35. *eod. tit.* r *d. l.* 1. *Sect.* 9. *&* 10. s *L. fin. C. de compenſ. C. fin. X. depoſ.* t *L. pen. ff. eod. tit. ibique D. D.* u *d. l.* 1. *Sect. ſi prædo. l. bona fides* 31. *ff. eod. tit.* x *Summa Sdv. in verb. pignm.* y *L. plebs* 238. *Sect.* 1. *de verb. ſignif.*

tur, quæ sine traditione, nuda conventione, tenetur. [z] Quod igitur alibi dicitur *inter pignus & hypothecam tantum nominis sonum differre*, [a] id cum grano salis accipiendum est, nimirum quo ad actionem indè provenientem, ejusque naturam & effectum.

XII. *Quot modis pignus contrahatur.*

XII. Contrahitur autem pignus vel tacitè vel expressè; *Tacitum pignus*, quod & *legale* vocari solet, est in bonis administratoris Ecclesiæ, tutorum, viri pro dote uxoris, contrahentis cum fisco, & multis aliis casibus, qui apud Doctores enumerantur. [b] *Expressa* verò *obligatio* aut à persona publica constituitur, aut à privata. Persona publica sive Magistratus introducit pignus Prætorium vel judiciale; illud locum habet cum ante sententiam aliquis à Prætore in possessionem mittitur. [c] Hoc cum post sententiam, pro ejus executione judex alicui possessionem bonorum Debitoris adjudicat. [d] Sed hæc hîc tantum attigisse sufficiat. Pignus, quod privati constituunt, est illud de quo hîc propriè agitur, & *conventionale* vocatur.

XIII. *Quæ res pignori obligari possint & quæ non.*

XIII. Quæri hîc solet, quæ res pignori obligari possint, & quæ non: Et regula est generalis, omnia ea pignori obligari posse, quæ quidem in bonis nostris, & nostro dominio sint. [e] Atque ità tam res præsentes quam futuras, ut fructus pendentes, partus ancil-

z *Sell. item Servius 8. inst. de action. l. 4. ff. de pign.* a *L. 1. Sell. 1. ff. eod. tit.* b *Summa Silv. in verb. pignus Negusant. tr. de pigno. 2. part. membro 4.* c *L. 1. & 10. tit ff. quib. ex caus. in poss. eat. l. 2. C. de pign. prætor. ibique Gl.* d *10. tit. ff. & C. de bonis auct. jud. poss.* e *L. 6. C. si alien. res pign.*

ancillarum, fœtus pecorum; [f] tam corporales, quam incorporales, ut cautiones, nomina, ſervitutes perſonales, [g] ut & ruſticas. [h] Pignori vero dari non poſſunt res quæ non ſunt in commercio, ut ſacræ, relligioſæ, [i] item liberi homines, [k] & res pupillares, [l] inſtrumenta ruſtica ad agriculturam deputata, [m] res litigioſæ, [n] ſervitutes urbanorum prædiorum, [o] nè nimirum deſtructis ædibus, urbium deformetur aſpectus, & denique res prorſus alienæ, [p] niſi cum conſenſu Domini. [q]

XIV. Denique notandum Creditorem in pignore tantùm teneri de dolo, lata, & levi culpa. [r] Quia *hic contractus utriuſque gratiâ celebratur, & Debitoris, quo magis ei pecunia creditur, & Creditoris quo magis ei in tuto ſit creditum* [s]. Leviſſima vero culpa, ut & caſus fortuitus non præſtatur [t], Quia nimirum periculum pignoris regulariter pertinet ad Debitorem, non vero ad Creditorem, [u] niſi Creditor in ſe periculum caſus fortuiti receperit. [x] Vel ejus culpa præceſſerit, [y] aut ipſe in mora fuerit. [z]

XIV. *Creditor in pignore, quid teneatur præſtare.*

f *L. & quæ 15. ff. de pign. l. 11. Sect. 3. ff. qui pot. in pign.* g *l. nomen 4. C. quæ res pign. l. 11. Sect. 2 ff. de pign.* h *l. 12. ff. eod. tit.* i *l. 3. C. quæ res pign.* k *l. 6. C. eod. tit.* l *l. 1. C. eod. tit. ibique Gl.* m *l. 8. cum auth, ſeq. eod. tit.* n *l. 1. Sect. fin. ff. quæ res pign.* o *d. l. 11. Sect. fin. ff. de pig.* p *l. ſi rem 9. ff de pign. act.* q *l. aliena 20. ff. de pign. act.* r *l. ſi cum venderet 13. Sect. 1. eod. tit.* s *Sect. 5. inſt. quib. mod. re contrab.* t *l. 5. Sect. 2. ff commod. d. l. 13. Sect. 1. de pig. act.* u *l. pign. 9. C. de pign. act.* x *l. quæ fortuitis 6. C. de pign. act.* y *l. ſi Creditor 5. Cod. eod. tit.* z *Summa Silv. in verb. pignus Sect. 14.*

CAPUT XVIII.

De Verborum obligationibus.

I. *Verborum obligatio, seu ſtipulatio quid?*

I. ABſolutis contractibus, qui re perficiuntur, ad *verborum*, & *literarum obligationes* accedemus: Et primò quidem ſe offert *verborum obligatio*, quæ & *ſtipulatio*, à firmitate nomen trahens: *Stipulum enim apud veteres firmum appellabatur, forte à ſtipite deſcendens.* [a] Hic eſt ille contractus, qui apud Juriſconſultos Romanos in maximo uſu, & pretio fuit, & in quo ornando, & excolendo operam plurimi poſuerunt, eique ſoli, quod reliquis omnibus pactis negatum, actionem dederunt; Et deſcribitur à Juriſconſulto Pomponio: *Verborum conceptio, quibus is qui interrogatur, daturum factúrumve ſe quod interrogatus eſt reſponderit.* [b] Vel brevius etiam: *Conventio verbalis, qua aliquid interrogatur, & congruè promittitur.*

II. *Origo ſtipulationis & cur introducta fuerit.*

II. Origo hujus ſtipulationis licet ex jure naturæ deſcendat, maximè quoad materiam, & in firmitate pactorum fundetur; quia tamen à jure civili formam propriam, & efficaciam nanciſcitur à nonnullis magis juris civilis eſſe exiſtimatur. [c] Rationem hujus efficaciæ ſi quæramus, hæc eſt, quod in aliis pactis tam deliberatè non proceditur, quam

a *Inſt. de verb. oblig. in pr.* b *L. ſtipulationum 5. Sect. 1. ff. de verb. oblig.* c *Vultej. ad princ. Inſt. de verb. oblig. N. 5.*

quam in ſtipulatione: ibi enim multi multa promittunt, & offerunt, per incogitantiam, aut ut dicantur benevoli, & famam gratioſi aucupentur, atque ita non animo ſemet obligandi, credentes fortaſſe alios promiſſa ſua non acceptaturos: at in ſtipulatione, præcedens interrogatio excitat hominem ad deliberandum an velit promittere, & per promiſſionem ea deliberatio certo conſenſu declaratur. Neque fruſtra introducta eſt hæc ſtipulationum validitas; quippe quam & utilitas ſuaſit, & commendavit neceſſitas: utilitatem quod attinet, ea in hoc conſiſtit, quod ſtipulatio omnibus aliis contractibus poteſt accedere, iiſque plenum præſtare firmamentum; ſic in permutatione, ubi ante implementum contractus nulla oritur actio, interveniente ſtipulatione efficax oritur obligatio, etiam ante implementum. [d] Et in contractibus innominatis, accedens ſtipulatio non relinquit locum pœnitentiæ. [e] Neceſſitas verò in iis caſibus deprehenditur, quibus alias de jure naturæ non ſatis proviſum eſt, ut in obligatione fidejuſſoria: Fidejuſſor enim niſi per ſtipulationem promittat non tenetur. [f] Item in obligationum novatione, [g] & liberatione ipſo jure facienda. [h] De quibus infra latius dabitur loquendi locus.

III. Cæterum non opus eſt hîc operosè inquiri, quæ perſonæ ad ineundum hunc contractum ſint habiles, & quæ res in ſtipula- III. *Qui ſtipulari poſſint & de quibus rebus.*

d *L. ex placito* 3. *C. de rer. permut.* e *L. quamvis* 39 *C. de tranſ. ibique D. D.* f *d. l. ſtipulationem* 5. *Sect.* 2. *l. Blandit n* 12. *C. de fidei.* g *L.* 1. *ff. de novat.* h *Sect. item per inſt. quib. mod. toll. oblig.*

pulationem possunt deduci; in his enim stipulationi cum pactis convenit; repetenda igitur hic quæ supra de pactis de hac materia tractavimus; sufficiet igitur hic hoc solum dixisse, quod stipulari possunt omnes, qui & pacisci, & de omnibus rebus de quibus licet pacisci: Illud hic speciale est, quod qui audire vel loqui nesciunt ad hunc contractum celebrandum non admittuntur, ut nec absentes, [i] quia inter præsentes res gerenda est, [k] non verò per nuntium, aut per epistolam, [l] & quidem verbis non vero nutu, [m] neque per alia signa voluntatis.

Forma stipulationis ejusque proprium.

IV. Formâ vero stipulationis olim in multis solemnitatibus constitit, quæ jam sublatæ sunt. [n] Nunc igitur hæc tantùm requiruntur, ut præcedat interrogatio, & sequatur responsio. [o] Exemplum esto *dabisne argenti mihi hodie viginti minas? dabo.* [p] Certè responsio interrogationem præcedere nequit. [q] Deinde ut responsio sit conformis interrogationi: *Est enim inutilis stipulatio, si quis ad ea quæ interrogatus est, non respondeat;* [r] *aut non sic respondeat, ut interrogatus est:* [s] *debet enim congruenter ad interrogata responderi* [t]; *nisi stipulatori diversitas responsionis illico placuerit.* [u] Præterea ut responsio interrogationem in continenti

i *L. 1. ff. de verb. oblig.* k *d. l. 1. Sect. 1. l. 3. C. de inutil. stipul. Sect. inter verb. inst. de inutil. stipul.* l *L. Titius Sect. 24. ff. de condit. pec.* m *d. l. 1. Sect. 2.* n *Sect. item si quis ita 15. inst. de inut. stipul. Sect. in hac 2. inst. de verb. oblig. l. 10. C. de contr. stipul.* o *d. l. 1 Sect. 2.* p *Plaut. Pseudol.* q *Port. ad tit. Inst. de verb. oblig. N. 1.* r *Sect. præterea 6. inst. de inutil. stip.* s *d. l. 1. Sect. 3.* t *d. Sect. 2. inst. de verb. oblig.* u *d. l. 1. Sect. 3. in f.*

tinenti ſequatur, aut certè poſt modicum intervallum: [x] *continuus enim actus ſtipulantis, & promittentis eſſe debet, ut tamen aliquod momentum naturæ intervenire poſſit.* [y] Non attinet hìc aliquid de conſenſu ad hunc contractum neceſſario attexere; quod enim *ſtipulatio ex utriuſque conſenſu perficitur,* [z] id ex natura pacti provenit, & ad ea, quæ ſupra de pactis diximus, ſpectat. Illud forte monere non inutile erit, tot eſſe ſtipulationes, quot ſunt res, vel ſummæ, quæ in contractum deducuntur [a].

V. Diviſiones ſtipulationum ſunt quamplurimæ, nos præcipuas tantum, & quæ maximum habent uſum delibabimus. Stipulationes igitur aut fiunt à ſingulis, aut à pluribus, poſſunt enim & plures rei eſſe tam ſtipulandi, quam promittendi. [b] Rurſus ſtipulationes aliæ in dando, aliæ in faciendo (ſub quo & non fieri comprehenditur) conſiſtunt. [c] Sunt & aliæ certæ, aliæ vero incertæ. [d] Iterumque aliæ ſunt dividuæ, aliæ individuæ. [e] Aliæ puræ, aliæ non puræ. [f] Pura eſt ſtipulatio, cujus dies & ceſſit, & venit. [g] *In omnibus autem obligationibus in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur.* [h] Non pura ſtipulatio eſt vel in diem, vel cum conditione: In diem, cum adjecto die, quo pecunia ſolvatur, ſtipula-

V. *Species ſtipulationum.*

x *d. l.* 1. *S. ff.* 1. y *l. continuus* 137. *ff. d.* 12. z *d. l.* 137. *S. ff.* 1. a *L. ſive de eum* 29. *l. quod dicitur* 86. *ff. d. tit.* b 121. *tit. ff. & C. de duobus reis.* c *l.* 2. *l.* 5. *Sect.* 1. *l.* 2. *Sect.* 5. *ff. de ve b. oblig.* d *l. ſtipulationum* 74. *ff. eod.* e *d. l.* 2. *Sect.* 1. *l.* 4. *S. ff.* 1. *l.* 72. *ff. eod. tit.* f *Omnis* 4. *inſt. de verb. oblig.* g *l. cedere diem* 213. *ff. de verb. ſignif.* h *l. in omnibus* 14. *ff. de reg. Jur. l. cum qui* 41. *Sect.* 1. *ff. de verb. oblig.*

pulatio fit, quod ſtatim quidem debetur, ſed peti, antequam dies venerit, non poteſt, imò nè ipſo quidem die. [i] In conditionali ſtipulatione neque ceſſit, neque venit dies pendente conditione. [k] Eſt autem conditio vel poteſtativa, vel caſualis, vel mixta. [l] Eaque vel affirmativè, vel negativè concipitur. [m] Denique aliæ ſtipulationes mera conventione conſtant, aliæ neceſſitate juriſdictionis conſtituuntur. [n] Conventionales ſunt, quæ ex conventione reorum fiunt, quarum totidem genera ſunt, quot rerum contrahendarum, [o] eæque interponuntur quandoque, ut vi propriâ conſiſtant, quandoque ut alii contractui accedant; quod vel maximè in ſtipulatione pœnali locum habet. [p] Quæ neceſſitate juriſdictionis conſtituuntur eæ in judicio fiunt, & judiciales appellantur, quæ à mero judicis officio proficiſcuntur; vel Prætoriæ, quæ à mero Prætoris officio proficiſcuntur; vel communes, quæ ab utroque. [q] Quæ omnes diſtinctiones, earumque uſus latius exponuntur ab iis D. D. qui titulum de verborum obligationibus, in Inſtitutionibus, & Pandectis, commentariis ſuis illuſtrarunt.

VI. *Effectus ſtipulationis.*

VI. Effectus ſtipulationis eſt, ut verborum obligationem pariat, & ea rurſus duas producat actiones ſtricti juris, condictionem certi, & actionem ex ſtipulatu. [r] Et in

i *d. Sect. omnis inſt. de verb. oblig.* k *d. l.* 213. *Sect. ſub conditione inſt. eod. tit.* l *l. in facto* 60. *ff. de cond. & dem.* m *L.* 1. *Sect. ſin autem 7. C. de cad. toll.* n *l.* 63. *l.* 9. *l.* 10. *ff. de verb. oblig.* o *l. ſtipulationum* 5. *ff. eod. tit.* p *Sect. non ſolum* 8. *Inſt. de verb. oblig.* q *d. l.* 5. *tit.* 11. *ff. de præſ. ſtipul.* r *Inſt. de verb. oblig. in pr.*

in hac quidem parte jus Civile Romanorum à jure naturæ recedit; cum enim eo jure omnia pacta nuda, sint æqualia, ejusdémque virtutis, & efficaciæ; jus Civile Romanorum uni stipulationi producendæ actionis vim tribuit; reliquis vero pactis solam exceptionem relinquit. [s]

VII. Nunc ad ipsas actiones veniamus. Et quidem *certi condictione* consequimur id quod certum est; *Quod ex ipsa pronuntiatione apparet, quid, quale, quantumque sit, ut, Ecce aurei decem. Fundus Tuscalanus. Homo Stichus. Tritici Africi optimi modii centum, vini Campani optimi amphoræ centum* [t]. Actione vero *ex stipulatu*, id quod incertum est, in substantia, quantitate, vel qualitate. *Ubi enim non apparet, quid, quale, quantúmq; est in obligatione, incertam esse stipulationem dicendum est.* [u] VII. *Quas actiones pariat.*

VIII. Sed de fructibus, & usuris quid dicemus? fructus certè in stipulationem non venire constat, nisi post litem contestatam: *tunc enim causa omnis restituenda est, id est, omne quod habiturus esset actor, si litis contestatæ tempore solutus fuisset.* [x] Usuræ vero nunquam veniunt, nisi in stipulationem sint deductæ; [y] De culpâ quoque, quæ in hoc contractu præstari debet res expedita est; Dolum enim, & culpam latam abesse debere constat, [z] ad levem vero culpam, quæ fere in omittendo consistit nemo VIII. *Quid de fructibus & usuris hic tenendum.*

s *L. jurisgentium* 7. *ff. de pactis.* t *d. l. stipulationum* 9. *Sect.* 1. *l. certi condictio* 9. *ff. si cert. pet.* u *l. ubi* 75. *ff. de verb. oblig.* x *l. cum fundus* 31. *ff. de reb. cred. l. in fideicommissi* 3. *Sect.* 1. *ff. de usur.* y *l. lecta* 40. *ff. de reb. cred. l.* 1. *C. de cond. ind. b.* z *l.* 23. *ff. de verb. oblig.*

nemo hic tenetur: *Nam culpa, quod ad ſtipulationem; attinet, in faciendo accipienda eſt, non in non faciendo.* [a]

IX. *Alteri ſtipulari an liceat?*

IX. Non abs re erit hic etiam aliquid ſubnectere de juris Romani regulâ notiſſimâ. *Alteri ſtipulari non licere* [b], an, & quatenus ea cum jure naturali conveniat. Certè quando mihi promiſſio fit de re alteri dandâ, videtur mihi ſine diſtinctione naturaliter competere jus illud acceptandi, atque ità efficiendi, ut ad alterum res perveniat, modo & ille acceptet: quando verò promiſſio fit ejus nomine, cui res danda eſt, & tertius acceptet, is ſi ſpeciale ad id habeat mandatum, aut generale, quod acceptationem includere judicetur, acceptationem illam facere poteſt, & ſic promiſſio perficietur: ſi verò nullum habeat mandatum, & tamen volente promiſſore acceptet, promiſſori quidem promiſſionem revocare non licet, antequam ille, ad quem ea promiſſio ſpectat, acceptationem eam, aut ratam, aut irritam faciat, ſed nec acceptanti interim remittere promiſſum licet, quare pendebit ea rès ex arbitrio ejus cui promiſſio facta eſt, donec is animum declaraverit. [c]

a *l. ſi ſervum 91. ff. eod. tit.* b *Sect. ſi quis alii 5. Inſt. de verb. oblig. l. ſtipul. sio. 38. Sect. alteri 17. ff. eod. tit.* c *Hug. Grot. de jur. bell. l. 11. cap. 11. Sect. 18.*

CAPUT

CAPUT XIX.

De Literarum obligationibus.

I. SEquitur ut *de Literarum obligationibus* nunc agamus. Sciendum autem nos has voces latiore hic ſenſu ſumere, quam eæ uſurpantur in titulo Inſtitutionum hujus nominis. [d] Ibi enim Imperator primo loquitur de obligatione, quæ nominibus fieri dicebatur, & jam non eſt in uſu; Et deinde de eo ſolo, qui debere ſe ſcripſerit, quod numeratum non eſt, quique ideo non numeratæ pecuniæ exceptionem (de quâ poſtea) merito poſſit objicere. Nos vero hic agimus de literis in genere, quæ numerationem non excludunt, atque ita ex pacto, per ſcripturam declarato, obligationem inducunt: Poteſt enim conſenſus in idem placitum tam literis, quam verbis manifeſtari, quia conſtat, *convenire per epiſtolam, vel per nuntium, inter abſentes quoq; poſſe.* [e] Atque ideo ſicut *ſtipulatio, quæ verbis fit, niſi habeat conſenſum, nulla eſt.* [f] Ita & è contra, quæ per literas fit, & conſenſum habet, eſt valida, ex naturâ pactorum ſupra à nobis demonſtratâ.

I. *Literarum obligationes quo ſenſu hic ſumantur.*

II. Literarum igitur obligatio generalis eſt, quaſlibet literas obligatorias comprehendens, tam publicas quam privatas, id eſt, tam inſtrumenta publica, quam ſcripturas privatas; *Inſtrumenta publica ea ſunt,* quæ

II. *Quas literas obligatorias comprehendat*

d *Inſt. de liter. oblig.* e *l.* 2 *ff. de pact.* f *l.* 1. *Sect.* 3. *ff. eod. tit.*

quæ auctoritate, & manu publica debitè conficiuntur. [g] Quorum aliqua sunt signata sigillo regio, vel civitatum, aliqua non sunt; Rursus alia simpliciter debitum continent, & ea de hodierno jure non habent executionem paratam; alia confessione quasi publica muniuntur, aut ut Italicâ voce utamur, *garantigiata* sunt, & habent executionem paratam; *garantigia* enim dicitur præceptum factum à Notario partibus, confitentibus, & consentientibus, ut observent contenta in instrumento, qua in parte Notarius, quasi vice judicis fungitur. [h] De quibus omnibus legendus egregius Rebuffi ad ordinationes regias tractatus. [i]

III. *Scriptura privata quotuplex*

III. Scriptura privata dicitur, quæ non à publica persona, sed à privata conficitur; Estque fere triplex, *Chirographum*, *epistola*, & *liber rationum*. *Chirographum* est scriptura, quam aliquis sua manu scripsit, qua debitorem se constituit. [k] Sub hoc nomine etiam comprehenduntur notissimæ literæ, quæ *Cambii* vocantur. *Epistola* est, quæ ab absente absenti mittitur, debiti alicujus mentionem faciens. *Liber rationum* est, in quo accepta & expensa annotantur, vel ut Labeo olim scripsit, *ultro, citro, dandi, accipiendi, credendi, obligandi, solvendi sua causâ negotiatio* [l]. Illud interea notandum quod *nuda ratio non facit aliquem debitorem* [m], debet enim subesse causa.

IV. Quæ

g *Clem.* 1. *de proc. ibique not.* h *Cujn. in l.* 1. *C. de conf. Bald. in l. fin. N.* 10. *C. de sponf. Tiraq. in Tr. de jure conf. tit. de Notaires Sect.* 1. *Gl.* 2. i *Rebuff. de lit. obligat. in præfat. & paſſim.* k *L. servum Filii* 44. *Sect. eum qui* 5. *ff. de lg.* 1. l *L. si quis ex argentar.* 6. *Sect.* 3. *ff. de edendo.* m *L. Nuda* 26. *ff. de donat.*

IV. Quæritur jam, quæ & qualis ex Scripturis hisce naſcatur obligatio? nos naturalem ex pacto actionem inde oriri ſtatuimus, quippe cum verè hic ſubſit conſenſus, cui vis pactorum innititur, jus verò noſtrum magis quam Romanum pactis favens, etiam civilem actionem ſuperaddit; & ſicut in verborum obligationibus, ita & hic actionem efficacem introduxit, quæ condictioni ex mutuo, & ex ſtipulatione reſpondet. Ità quidem ut chirographum pariat condemnationem contentæ in eo pecuniæ, imo etiam, ſi ab eo, qui id ſcripſit, in judicio recognoſcatur, proviſionalem quoque mereatur ſententiam, quæ ſtatim executioni mandetur, [n] idque ea ratione, *quod ſi quis numerationem ſcripto confeſſus ſit, is ſuæ confeſſioni aequieſcere debeat*: [o] *& quod nullæ ſunt partes judicis in confitentes*; [p] *atque ideo confeſſos in jure pro judicatis haberi placeat*. [q] Quæ de Chirographo diximus, etiam ad literas Cambii propter paritatem rationis applicari debent. Idem fere de Epiſtola judicium eſto, niſi quod inde proviſionalis ſententia non itidem obtineri poteſt, quia ibi non ita perſpicua eſt promiſſio. Paulo aliter ſe res habet in Libro rationum, nam ejus vis conſiſtit in tacito pacto, quod inter Mercatorem, merces ſuas vendentem, & earum Emptorem, quando parata non datur pecunia, intervenire creditur: ut nimirum quemadmodum Mercator de pretio mercium ſu-

IV. *Quæ & qualis ex Scripturis naſcatur obligatio.*

N arum

n *Rebuff. tr. de chirograph. & cedul. recogn.* o *L. generaliter 13. C. de non numer. pec.* p *L. proinde 25. Sect. 2. ff. ad l. Aquil.*

arum in aliquot menses fidem habet emptori, ita & Emptor vicissim mercatori fidem habeat de eo quod de quantitate, qualitate, & pretio venditarum merciun, ipse in librum rationum relaturus sit: quod pactum tacitum, eas apud nos vires habet, ut eam scripturam, accedente juratâ Mercatoris assertione, quâ codicem suum firmat, aut definitiva, aut etiam provisionalis sententia sequi soleat.[r]

Solvitur dubium de non numerata pecunia.

V. Sed quid dicendum, si Chirographum, aut alia Scriptura privata mentionem quidem numerationis pecuniæ faciat, debitor vero eam interveniſſe neget. Nos eo casu naturalem obligationem subesse negamus, quia consensus deficit: Nemo enim se debitorem pecuniæ vult constituere, nisi numeratio, aut ilico fiat, aut statim sit secutura: nemo etiam se vult obligare ad restitutionem pecuniæ, quam nunquam acceperit. Civilis igitur obligatio (quæ sola adhuc ex Scriptura superest) per exceptionem non numeratæ pecuniæ, quæ & ipsa civilis est, potest elidi, dummodo intra biennium proponatur,[t] aut si id non fiat, etiam post biennium competit; ita tamen, ut omnis probandi, non numeratam fuisse pecuniam, is qui debitor esse dicitur, in se recipiat.

r *L. 1. ff. & C. de confess. Gail. lib. 11. observ. 20. 5 101. tit. Inst. de liter. oblig.* t *L. 1. l. si ex cautione C. de non num. pec. ibique D. D.*

BENE-

BENEVOLE LECTOR.

Cum huc usque in enarrandis Juris Naturalis principiis, Parens noster piæ memoriæ, perveniſſet, placuit Deo, labori ejus & vitæ ſimul finem imponere; utinam eâdem perſpicuitate ac brevitate quæ ſuperſunt tractare ipſi datum fuiſſet. Pauca ea eſſe, ideòque ex optimis quibuſque ſcriptoribus qui hanc materiam pertractarunt, quæque ſibi facili negotio ſupplere poſſe, uti non diffitemur, ità etiam nè fœtum hunc velut imperfectum, projeciſſe magis, quam emiſiſſe, vitio nobis verteretur, néve partibus noſtris hac in re tibi deſuiſſe videremur, quod ſequitur vigeſimum Caput ſubnectere conſultum duximus, tractatui de Contractibus, & univerſo ſimul Operi finem impoſituri.

CAPUT XX.

De Contractibus qui conſenſu perficiuntur.

I.

Cur quidam contractus ſolo conſenſu perfici dicantur.

1. ABſolutis tribus, ex diviſione ſuperius allatâ[a], obligationum ex contractu ſpeciebus, ſupereſt ut ad quartam & poſtremam accedamus, quæ *conſenſu* perfici dicitur. Vera diviſio, ſi rem ſpectemus, ſed quæ niſi explicetur, aliquem ambiguitate

N 2

a *Supra cap. 16. Sect. 10.*

tate suâ in errorem facilè inducere posset. Cum igitur obligationes aut re, aut verbis, aut literis, aut consensu denique contrahi dicuntur, ultimus hic contractus qui consensu fieri dicitur, non ità à tribus prioribus est distinguendus, quasi in illis obligatio non contrahatur consensu, quod à mente divisionis alienissimum est; *Pactum* enim omne *est duorum consensus atque conventio.* [b] Quod verò stipulatio ex utriusq; consensu perficitur, id ex natura pacti provenire, supra demonstratum est? Nullúsque omnino est contractus qui non habeat in se consensum & conventionem sive re, sive verbis fiat, [d] utpote communem omnium contractuum spiritum. [e] Sed priores hæ contractuum species cùm ad contractus perfectionem, & ut obligationem pariant, hoc amplius requirant, ut res, aut verba, aut literæ concurrant, contractus de re, verbis & literis appellati sunt. Cùm verò contractus etiam sint qui consensu solo perficiantur & constent, nihilque præter mutuam contrahentium voluntatem desiderent, addita est & quarta species, eorum nempe contractuum qui *consensu, solo* scilicet perficiuntur: quæ divisio ut à Jurisconsulto Cajo primùm usurpata, [f] & deinde in Institutiones translata est, [g] ità ab eodem posteà sic explicatur. [h]

II. *Origo hujus contractus.*

II. Hunc contractum à naturali jure numè produci constat, cùm quia juris fici onibus

b *L.* 3. *ff. de Pollicit.* c *Supra cap.* 18. *Sect.* 4. d *L.* *Sect.* 1. *ff. de pact.* e *d l.* 1. *Sect.* 3. f *L.* 1. *ff. de oblig.* *act.* g *lib.* 3. *tit. de oblig. ex cons.* h *l.* 2. *ff. de obl.* *& act.*

ōnibus, ſicut quaſi-contractus, [i] non innitatur, ſed conſenſum, quo nihil humanæ naturæ ac libertati convenientius, pro fundamento habeat; tum verò quia nec formam à civili jure, ut contractus proximè ſuperioribus capitibus expoſiti, mutuetur, qui à re, ſtipulatione & ſcriptura vim omnem obligandi, quam à conſenſu ſolo non habent, accipiunt. Hoc etiam hîc animadvertendum eſt, quod obligationem magis naturalem, & idcirco pleniorem, hic contractus producat, quam ea quæ ex ſtipulatu naſcitur, & ſtricti juris eſt; ſiquidem hoc contractu *alter alteri obligatur*, non modo in id de quo convenit, aut dictum, ſcriptúmve eſt, ſed etiam *in id* omne, *quod alterum alteri ex bono & æquo præſtare oportet*, [k] quamvis de eo nihil cautum ſit.

III. Cum *conſenſu ſolo* contractum hunc perfici dicimus, hoc ſic intelligi nolumus, ac ſi rebus, verbis, aut literis, hîc uti non liceat, ſed quod hæc omnia obligationem hîc non pariant. Certum alioquin eſt, conſenſum aut certis ac propriis indiciis declarari, aut ex re factóve aliquo, colligi debere, ut de contrahentium voluntate conſtare poſſit. Cùm autem natura nutus & ſermonem homini tribuerit, ut animi ſui ſenſus exprimat, & ſcriptura inſuper inventa ſit, ut cum abſentibus communicemus; Conſenſus indicia eſſe ſtatuimus; 1. *Nutum*, non modo in mutis, ſed etiam in illis qui loqui poſſunt, nam & nutu conveniri poſſe argumento eſt, quod fidei

III. *Unde conſenſus colligatur*

N 3 com-

i *ſupra cap. 16. Sect. 12.* k *lib. 3. tit. 23. Inſt. de obl. ex conſ.*

commissa, nutu ſicut epiſtola, relinqui poſſe placuit, [l] quamvis non relinquantur niſi ex voluntate. [m] 2. *Verba*, & *ſcripta*, [n] quæ hîc maximè ſibi locum vendicant. 3. *Res* & *facta*, quibus intervenientibus, præcedens conventio non poteſt videri non placere, utputa, vendidit aliquis, me ſciente, fundum meum, neque tamen conſentiente, nulla à me contracta venditio eſt; ſi tamen pretium ex ea cauſa accepero, videbor ipſe vendidiſſe. [o] Unde ergo hæc venditio? Ex conſenſu videlicet, qui ex pecuniæ acceptione colligitur. 4. Quæritur hîc an *ſilentium* inter conſenſus indicia referri poſſit? Certum eſt tacentis animum ſoli Deo, nulli verò hominum, eſſe compertum, conſentiat ne, an diſſentiat intra ſe, *Qui tacet, non utique fatetur, ſed tamen verum eſt, cum non negare.* [p] Ideóque in utramque partem, pro qualitate rerum ac perſonarum accipi poteſt taciturnitas, & pendet ex æquitate. Si quis igitur ſciat agi pro ſe negotium civile, & interim taceat, cum diſſentiendo prohibere potuerit, & ſi non ipſi placeat, etiam debuerit; ſilentium ejus conſenſus utique interpretari poterit, *Qui enim tacet*, ubi nimirum loqui tenetur, ut diſſenſum oſtendat, *conſentire videtur.* [q] *Natura enim inclinamur ad commoda quælibet.* [r]

IV. Con-

l *nutu* 21. *ff. de legat.* 3. *l. & in Epiſt. C. de fideicom.* m *l. pen. ff. de legat.* 1. n *l.* 2. *C.* tit. 3. *de Pact.* o *l.* 12. *quidam ff. de evict.* p. *l. qui tacet ff. de reg. juris c.* is qui tacet eod. tit. lib. 6. *c. ſuper eo in fi. de cog. ſpiritual.* q *l.* 2. *Sect. voluntatem ff. ſolut. matri. c. qui tacet de reg. juris lib.* 6. r *d. l.* 2. *& l. item quæritur. Sect. qui impleto ff. locat.*

IV. Contractus qui consensu solo obligationem & actionem pariunt, & ob rationes supra allatas, [s] *nominati* dicuntur, duplicis sunt generis: quidam enim jure gentium, quidam jure civili, hoc efficiunt. Prioris generis sunt; 1. *Emptio-venditio*, 2. *Locatio-conductio*, 3. *Societas*, & 4. *Mandatum*, quatuor scilicet quia emptio & venditio pro uno contractu habentur, uti etiam locatio & conductio, nec plures apud Cajum, [t] aut Justinianum, [u] numerantur. Posteriorjs sunt; 1. *Constitutum*, 2. *Contractus emphyteuticus*, 3. & *Pactum donationis*, quo quis se dicit donare *in præsentiâ*; tres scilicet numero, nec plures, nam *Sponsalia*, & *Nuptiæ* ad Societatem referuntur, & *Dotis pollicitatio* ad hanc classem non pertinet, sed ad contractus qui re perficiuntur. [x] Et de singulis hisce conventionibus, ac primo de illis quæ jure gentium obligationem & actionem pariunt, aliquid nobis in sequentibus dicendum erit.

IV. *Contractus nominati & qui solo consensu perficiuntur quotuplices sint.*

V. Prima ac nobilissima, hujus generis contractuum, species, & ad vitæ communis usum maximè necessaria, est *Emptio-venditio*, quam à permutationibus cœpisse, supra indicarum est; [y] Et permutationem quidem, post divisionem soli factam, primo se obtulisse, cùm scilicet quidam haberent aliqua sibi minus utilia, aliis verò necessaria; sed cùm pretii æqualitas vix tum posset inveniri, nummi usum tandem re-

V. *Emptio-venditio unde originem suam trahat.*

s *supra cap.* 16. *Sect.* 3. t *l.* 2 *ff. de oblig. & act.* u *Inst. tit. de oblig. ex conf.* x *Donell. comment. lib.* 12. *cap.* 10. y *supra cap.* 7. *Sect.* 10. 11. *cap.* 16. *Sect.* 2.

pertum, & emptionem introductam esse, cujus rei testes etiam sunt Jurisconsultus Paulus, [z] & Aristoteles, qui nummum factum esse ait, *succedaneum, & quasi Sponsorem futuræ indigentiæ.* [a]

VI. *Cur sic appelletur hic contractus.*

VI. Appellatur hic contractus *Emptio-venditio*, quia duobus hisce factis seu partibus constat, *emptione* nimirum, & *venditione*, quæ juncta unum contractum constituunt. Factum ejus, à quo *pecunia*, quæ & *pretium* dicitur, est, *emptio* vocatur, ille *emptor*; ejus à quo *res*, quæ & *merx*, proficiscitur, *venditio*, ille *venditor*. [b] Quod dicitur, veteres in emptione & venditione, his appellationibus promiscuè usos esse, id non significat una appellatione, alterius loco, fuisse usos; sed una tantum, puta vel solâ emptionis, vel solâ venditionis, ad utrumque intelligendum, indicandúmque totum contractum, quia unum sine altero nec esse, nec intelligi potest, ut est natura relatorum. [c]

VII. *Quid sit Emptio-venditio & quæ ad eam requirantur.*

VII. *Emptio-venditio*, igitur, *est contractus, quo id agitur, ut pro certâ pecuniâ uni dandâ, alter rem accipiat*; vel si aliorum definitio magis allubescat, *Est contractus mutuæ præstationis, juris gentium, bonæ fidei, nominatus, quique consensu perficitur, quo res alienæ, nobis certo pretio datur*; quanquam consensum, bonam fidem, &c. in ultima hac definitione expressa, satis ex supra dictis, huic conventioni inesse, intelligantur, & ad cæteros hujus generis contractus etiam pertineant, de quibus idem judi-

z *l.* 1. *ff. hoc titulo.* a *Eth. lib.* 5. *cap.* 5. b *l. veteres* 19. *& seq. de act. empt.* c *Vinnius ad hunc tit. Inst.*

judicium esto. Hæc solùm ad primæ definitionis elucidationem subjungimus. 1. *Pecuniæ* mentionem hîc quidem à nobis fieri, sed non ut judicium nostrum in quæstione, inter celeberrimos Jurisconsultos, olim agitata, interponamus, Sabino nimirum & Cassio ab una parte, pretium etiam in alia re consistere, & permutatione rerum, emptionem & venditionem contrahi posse, contendentibus; & Nerva ac Proculo utrumque, ab altera, negantibus, de qua D. D. consulendi & inter alios Doctiss: Vinnius, qui à Sabini & Cassii partibus apertè stat; Imperatorem tantùm hic sequimur, qui hoc Inst. tit. pretium in numerata pecunia consistere debere, & cum Proculo, permutationem, propriam contractus speciem, & à venditione separatam esse, statuit; quam distinctionem ut natura non instituit, sic à jure civili introductam, non respuit. 2. Hoc magis ad rem, Consensum in Emptione-venditione circa duo versari, rem nimirum & pecuniam, seu mercem & pretium; hoc ut venditori detur, illam ut tradatur emptori, ex quibus hujus contractus substantia æstimanda & definienda est. 3. Ut primùm de re & pretio convenit, quamvis nec res tradita, nec pretium numeratum, nec arrha data sit, emptionem perfectam intelligi, non verò consummatam sive completam; siquidem hunc contractum solus consensus de re & pretio perficiat, consummet verò rei traditio & pecuniæ numeratio, extremi contrahentium fines. 4. Emptione perfecta, nasci utrinque obligationem rectam, teneríque emptorem

rem actione ex vendito, ut nummos, quos pretii nomine, pro re venditâ, promiſit, ſolvat; venditorem vicißim actione ex empto, ut rem venditam tradat emptori, [d] aut intereſſe omnino præſtet, [e] ſi perierit, aut poteſtatem eam tradendi non habeat, quod multis modis accidere poteſt. [f] Si vero poteſtatem tradendi habeat, rem præcisè tradere teneri, nec offerendo ſolutionem ejus, quod emptoris intereſt, defungi poſſe, cum ſit contractus bonæ fidei, & æquitati maximè repugnet, ut emptor præcisè teneatur pretium ſolvere, venditor autem contra non teneatur rem tradere: ut emptor rei periculum ſuſtineat, rem tamen conſequi non poſſit: denique ut propter fraudem venditoris, fidem conventionis adimplere, cum poteſt, recuſantis, emptor probationi difficillimæ ejus, quod intereſt, quod & ad exiguam ſummam plerumque deducitur, [g] adſtringatur. 5. Præſtationem tamen hanc mutuam emptoris & venditoris, ex jure civili, nonnihil eſſe diverſam; emptorem enim nummos, quos pretii nomine præſtat, venditoris facere, cogi; venditorem vero vacuam tantum rei poſſeſſionem tradere; quæ res, ſi venditor dominus fuit, facit & emptorem dominum; ſi non fuit, evictionis tantum nomine venditorem obligat; neque enim cogi venditorem dominium rei in emptorem transferre, ſed obligationi ſatisfacere, ſi præſtet habere licere. [h]

VIII. Po-

d tit. C. de act. empt. e l. 1. l. ex empto. 11. Sect. 2. ff. de act. empt. f l. ſi cum fundum 68. Sect. ult. hoc tit. g l. ult. de ſtip. præt. h l. 11. ff. Sect. 2. l. ſervus 30. de act. empt. l. ſi ita 25. Sect. 1. hoc. tit. l. 1. de rer. permut.

VIII. Potest hic contractus Venditionis ex voluntate & conventione partium, (quod etiam in aliis contractibus usu venit) *sub certâ conditione* celebrari, ut puta, *si res intra certum diem placuerit*, qua pendente, liberum est contrahentibus à contractu recedere; ea autem impleta, tum primum emptionem perfici, nullúmque pœnitentiæ locum relinqui intelligitur. Fieri etiam potest ut hic contractus, ex eadem partium voluntate & conventione, aliam naturam adsciscat quam ea est, quam ex jure naturali & gentium habet, ut scilicet ad vim & constitutionem obligationis *Scripturam* intervenire necesse sit, cum absque tali conventione foret, ut nudo & simplici consensu perficeretur: quo casu, negotium Scriptura conficiendum, non ante pro perfecto habetur, quam in Scripturam redactum, instrumentúmque ejus negotii, sive privatum, sive publicum id sit, ritè confectum est.

VIII. *Quibus aliis modis celebretur.*

IX. Occurrit hic quæstio de periculo & commodo rei venditæ & nondum traditæ, ad utrum interim, ad venditorémne, an ad emptorem, utrumque pertineat. Constans veterum sententia est, & ex innumeris juris civilis locis evincitur, simulátque emptio perfecta est, (quando autem perfecta censeri debeat, ex modo dictis liquet) licet res nondũ tradita sit, omne commodum, & vicissim omne periculum atq; incommodum rei, quod sine facto venditoris contingit, emptorem sequi; quia

IX. *Periculum & commodum rei venditæ & nondum traditæ ad quem pertineat.*

i l. 7. l. 8. de per. & comm. rei vend. l. 1. l. 4. l. pen. & ult. C. eod. l. quod sæpe 35. Sect. si res 4. hoc tit. l. 5. Sect. ult. de rescis. vend. cum similib.

quia ex natura contractuum, in quibus utriusque versatur utilitas, venditor non nisi dolum & culpam in re vendita præstat, [k] casus autem fortuiti nullo bonæ fidei judicio præstantur; [l] & omnes debitores certæ rei liberantur, si ea res sine culpa eorum perierit: [m] quod ad *commodum* attinet, res etiam per se clara est, *ejus* enim *esse debet, cujus & periculum est.* [n] Hoc interim sciendum est, contractus naturam contrahentium conventione immutari posse, atque effici, ut damnum post perfectam emptionem ad venditorem, & ante perfectam, ad emptorem pertineat; [o] item ut venditor, non mediocrem modo, sed summam etiam diligentiam, ac custodiam majorem quam contractus desiderat, præstare teneatur. [p]

X. *Quæ res sub emptionem veniunt.*

X. Qui autem hunc contractum celebrare possint, ex illis quæ de conventionibus & pactis in genere supra dicta sunt, [q] satis liquere potest: id uno verbo, quod ad res, quæ sub emptione veniunt, attigisse sufficerit: Omnium rerum quas quis habere, vel possidere, vel persequi potest, venditionem rectè fieri; quas vero natura, vel gentium jus, vel mores civitatis commercio exemerunt, ut sunt, exempli gratia, liberi homines, res sacræ, loca publica, &c. earum nullam venditionem esse; [r] quoniam in venditione hoc agitur, ut dominium,

k *l. 5. Sect. 2. comm.* l *l. 6. C. de pig. act.* m *l. si ex legati 23. de verb. oblig. l. 5. de rebus cred.* n *l. secundum de reg. juris l. 12 qui Sect. alt. de leg. præst. l. unic. C. de cad. toll. & hoc tit. Inst.* o *l. 1. l. 10. de per. & comm. rei vend.* p *l. contractus 23. de reg. juris.* q *supra cap. 15. Sect. 6. 7. 8.* r *l. si in empt. 34. Sect. 1. ff. hoc tit.*

nium, [s] aut saltem usucapiendi conditio, in emptorem transferatur, quorum nihil in res commercio exemptas cadit.

XI. Secunda contractuum species, qui jure gentium, solo consensu perficiuntur, est *Locatio-conductio, quâ id agitur, ut pro usu alicujus rei, aut operâ personæ, certa merces præstetur.* Ab unius autem indigentia, alterius verò copia, contractum hunc etiam originem suam traxisse, negotio nullo evinci poterit, si ponamus unum alterius re aut operâ indigum fuisse, & interim pecuniæ satis non habuisse, ut rem aut personam emptione sibi propriam faceret; aut, si satis habuerit, alterum libertatem suam vendere, aut rem suam alienare noluisse; tunc enim proximum fuit, ut qui indigebat, usum istius rei, saltem ad certum tempus, aut operam illius personæ, saltem ad certum opus, conductione consequeretur, & alter rei suæ usum, aut operam suam, locatione ei addiceret. Locationis-conductionis igitur species duæ emersérunt, rerum utendarum una, utputa ædium habitandarum; operarum seu factorum præstandorum altera, exempli gratia, ædium ædificandarum: & factum ejus qui aliquid utendum vel faciendum dat, *locatio*, ille *locator* dicitur; ejus verò qui aliquid utendum vel faciendum accipit *conductio*, ille *conductor*. Conductoris autem appellatio generalis est, at ædium conductor specialiter inquilinus, agri colonus, operis redemptor, & vectigalis publicanus vel manceps veteribus dicebatur. Hoc animadversione ma-

XI. *Locatio-conductio quid, ejus origo & species.*

s *Locum manu &c. Sect. ult. eod.*

majori dignum est, in locatione rerum has denominationes certas esse, at in locatione operarum non item: ibi enim semper locator est & dicitur is, qui rem utendam dat & mercedem accipit, conductor qui utendam accipit & mercedem præstat: hic verò, qui operas præstat & mercedem accipit locator interdum dicitur, is cui præstantur operæ & qui mercedem dat conductor; [t] interdum contra locator is dicitur cui mercedem danti operæ præstantur, conductor qui accepta mercede operam præstat. [u] Promiscue igitur hisce appellationibus veteres fuisse usos, quod in hac specie locationis, diverso respectu, idem & locator & conductor videatur; nam qui operam locare dicitur, ille idem dicitur conducere opus faciendum, & contra qui operam dicitur conducere, idem dicitur locare aliquid faciendum. [x] Unde & apud Gallos remansit ut *locare* utrumque actum locandi & conducendi significet, & *locatarius* uterque conductor & locator dicatur, & *locagium* mercedem datam & acceptam, ex hoc contractu, denotet.

XII. *Emptio & locatio in quibus conveniant & differant.*

XII. Emptioni proximus est hic contractus, & quasi quædam usus rei & operæ emptio & venditio, ut dubitari in quibusdam soleat, emptio an locatio sit contracta. Ut igitur locationis naturam penitus perspectam habeamus, non abs re erit videre, quibus in rebus cum emptione ipsi con-

t *sed addes* 19. *Sect. pen. ff. l. item si* 22. *Sect.* 2. *l. qui operas* 38. u *d. l. si addes d. l. item si l.* 11. *Sect. pen. l.* 13. *Sect. l.* 2, 3. *l. si merces* 25. *Sect. pen.* x *d. l. item si, hoc tit. & l.* 1. *de æst. act.*

conveniat, & in quibus ab ea differat. Et quod ad diſtrimen attinet hac in re præcipuè differunt quod in emptione id agatur, ut dominium transferatur, hoc eſt, ut res tota cum omni jure ad emptorem tranſeat, in locatione vero rerum, ut earum uſus duntaxat conductori concedatur; unde & alia differentia exſurgit, quod emptio titulus perpetuus eſſe ſoleat, locatio temporalis; quin imo non dominium modo apud locatorem remaneat, [y] verum etiam poſſeſſio, & conductor tantum in poſſeſſione eſſe & rem detinere dicatur. [z] Pluribus autem in rebus hos contractus inter ſe convenire perſpiciemus, ſi animadvertamus, 1. *Mercedem* idem in locatione ſignificare, ac pretium in emptione, & ſicut emptionis pretium nullâ alia in re, ex mente Imperatoris, quam in numerata pecuniâ, conſiſtere poſſe diximus, ità nec mercedem locationis; quod pretii & mercedis ſimilitudo atque eadem planè utriuſque ratio efficere videtur; utrumque enim æſtimatio eſt, & pretium quidem rei totius, merces verò temporanei uſus; hoc etiam conſtat, invento nummo, res omnes pecuniâ æſtimari cœpiſſe. 2. Conſenſum etiam hic, uti in emptione, circa duo verſari, rem nimirum utendam & mercedem, hanc, ut locatori detur, illam, ut conductori utendam præſtetur: vel circa opus faciendum & mercedem, illud ut præſtetur locatori, hanc ut detur conductori; ex quibus contractus hujus ſubſtantia æſtimanda & definienda eſt.

3. Ut

y *l. non ſolet. 39. ff. hoc tit.* z *l. 9. de rei vend. l. 3. Sect. cæter. 12. l. 9. de acq. poſſ.*

3. Ut primum de re utenda aut faciendâ, & de mercede convenit; (quod etiam in emptione locum habere vidimus) locationem[1] perfectam, non vero consummatam intelligi, siquidem hic contractus consensu solo perficiatur, mutua autem præstatione demum impleatur ac consummetur. 4. Locatione perfecta, obligationem mutuam, actionemque rectam, uti in emptione, utrinque nasci, competereque locatori actionem locati, conductori conducti; nisi Principum constitutiones instrumentum insuper requirant, uti in Batavia, in fundi locatione.[a] 5. Conductori in hoc contractu incumbere, quod in emptione venditori incumbit, ut præstet de quibus nominatim convenit; & si nihil convenit, ut præstet id omne quod ex æquo & bono præstari oportet, etiamsi de eo nihil dictum, aut forte nihil cogitatum sit. [b] Præstare autem debere dolum & culpam, non levissimam, sed juxta hujus contractus tenorem, qui utriusque utilitatem continet, [c] levem & mediocrem, talem nempe adhibendo diligentiam, qualem & communiter frugi patresfamilias rebus suis adhibere solent; de casus fortuiti exclusione nihil opus est quicquam hic addere, cum hoc contractibus omnibus sit commune, ut non præstetur. 6. Nec hoc ultimo prætereundum nobis est, Conductore mortuo, intra tempora conductionis, hæredem ejus eodem jure in conductione succedere,[d] quippe *hæres universi juris & onerum defuncti*

a *Grotius lib.* 3. *manuduct. ad jurisprud. Batav.* b *l. si in leg.* 24. *& l. seq. Sect.* 3. *hoc tit. Sect. in bonæ* 30. *inf. de act.* c *l.* 5. *Sect.* 2. *ff. commod.* d *Inst. lib.* 3, *hoc tit.*

uncti successor est: e secus tamen se rem habere, facile quivis intelligit, ubi locator conductoris artem aut industriam locavit, quæ, conductore mortuo, una cum ipso sepeliuntur.

XIII. Omnes res quæ in commercio sunt, prædiorum servitutibus, ex jure civili, exceptis, f tam mobiles, quam soli, etiam incorporales, ut ususfructus & habitatio, g amplam huic conventioni materiam præbent; imo & alienæ, sed ea lege, ut conductori ignoranti, locator obligetur in id, quod interest, si dominus conductorem frui non patiatur. h Quod ad facta attinet, ea duntaxat sub hoc contractu veniunt, quæ mercede æstimari possunt, ac solent, ut tabulam pingere, ædes ædificare, aliquem aliquo vehere. i Cum autem opera eorum, qui ingenio, gratia, eloquio aliisque humanioribus artibus, nos juvant, beneficium reputetur, & quod rependitur, non merces, sed remuneratio vel honorarium dicatur, placuit veteribus, mutua ejusmodi beneficiorum commercia, locationem conductionem non esse. k

XIII. *Circa quas res versetur locatio.*

XIV. Tertia species est *Societas, quâ inter aliquos res aut operæ communicantur, lucri honesti in commune faciendi gratiâ.* Indigentiam huic contractui originem etiam dedisse, clarius est quam ut pluribus probari necesse sit: cum enim junctis sejuncta minus viribus polleant, & quod singuli separatim

XIV. *Contractus societatis quid.*

e l. *heres.* 37. ff. *de acq. hær.* f l. *locare* 44. ff. *hoc tit.* g *Sect.* 1. & *pen. ff. de usu & habit.* h l. 7. l. *ex conducto.* 15 *Sect. pen. eod.* i l. 5. *Sect.* 2. ff. *de præscr. verb.* k l. 1. *si mens. falsi. mox. dix.*

paratim, quamvis maximè velint ac conentur, fæpius efficere non valent, id uniti, negotio nullo, efficiant; factum eſt ut homines, natura manu quaſi ducente, ad ſocietates deſcenderint, & facultates ac operas in commune contulerint, ut quod ex ſolitariis opibus ac privata induſtria, lucrum ſperare non poterant, ex junctis facultatibus & operis conſequerentur. Hic autem de illis ſocietatibus, quæ in publica commoda peccant, non agi, manifeſtum cuilibet eſſe poteſt, ut illorum qui pecunias in unum conferunt, ut merces omnes unius ſpeciei emant, ut non minoris quam interſe ſtatuerint, poſtea venundent, [l] quas lex Julia de annona, pœnæ ſubjecit; [m] multo minus quæ humanæ ſocietati bellum apertum indicunt, quales ſunt prædonum aut piratarum, quæ commune odium meruerunt, & in quas omnium gentium leges tribunalia armarunt; ſed de illis tantum quæ Prætoris cognitionem non refugiunt, quales ſunt mercatorum, redemptorum operarum aut vectigalium, &c. & quarum lucrum legitimum & honeſtum eſt.

XV. *Quæ hic Axiomata obſervanda.*

XV. Ad præcedentis definitionis mentem, & ſocietatum naturam percipiendam ſequentia axiomata obſervanda ſunt. 1. Duos ad minimum ſocietatem requirere, plures autem, imo & multos, recipere. 2. Requiri ut utrinque à contrahentibus aliquid in commune conferatur, & idcirco donationis causâ ſocietatem non contrahi, veluti ſi quis lucrum ex re ſua factum, alteri commune eſſe voluerit, qui de ſuo tamen

[l] *lib. 4. C. 59. tit. de Monop.* [m] *lib. 48. ff. l. 12. eod. tit.*

tamen nihil contulerit. n 3. Collationem illam voluntariam, & ex consensu prævio esse debere, o & idcirco socios, ex vi hujus contractus ac propriè, non esse, qui casu in communionem aliquorum bonorum, puta hæreditatis, inciderunt. 4. Omnia quæ in commune conferri possunt, ac nostri juris sunt, sive res sint & pecunia, sive industria & operæ, contractus hujus subjectum & materiam esse; nihil autem interesse corporales nè res utrinque, ut pecunia, vel incorporales, ut industria, an illinc res, hinc operæ, in commune conferantur, cum & inter duos artifices, operarum societas coiri possit, ut quod ex suo artificio lucrum fecerint, commune sit p. 5. Societatis species, subjecti respectu, plures esse posse; posse enim omnium rerum societatem instituì, vel unius partis bonorum tantum; posse esse sortis in commune collatæ & lucri, vel lucri tantum ex sorte provenientis; posse etiam esse plurium rerum, vel unius rei duntaxat, puta certæ negotiationis, aut fundi in commune empti. 6. Societatis finem esse debere commune lucrum, & idcirco communionem, quæ hunc finem sibi propositum non habeat, ut maximè voluntaria sit, societatem neutiquam dicendam esse; rem eandem simul à duobus simpliciter emptam, fieri quidem amborum voluntate communem, sed societatem hac simplici emptione contrahi non placuisse, q nisi insuper cum animo & affectione socie-

O 2 tatis

n *l. 5. ff. Soc. l. hoc tit.* o *l. cum duobus. 52. ff. Soc. id. m Papin. 8. eod.* p *l. si non fuerint. l. 29. l. duo. 7. eod.* q *l. ut sit ff. 31. hoc tit.*

tatis empta ſit, ut ſcilicet lucrum ex ejus uſu, aut venditione commune fiat. 7. Societatem contractam intelligi, ſtatim atque de communione (eo modo, fine, ac animo, ut ſupra expoſitum eſt) inter aliquos convenit, etſi nullius rei aut operæ in præſentia collatio fiat. [r] 8. Societate contracta, mutuam inter contrahentes obligationem naſci, ac teneri reciprocè ſocios actione ex ſocietate, ſive pro ſocio, ut lucrum ex collatis bonis aut operis ex æquo ac bono inter ſe dividant, & dolum ac culpam invicem præſtent, levem ſcilicet & mediocrem; ſocius enim hic non tenetur majorem diligentiam ſocio præſtare in rebus communibus, quam in ſuis, quia *ſibi debet imputare, qui parum diligentem ſocium aſſumpſit.* [s]

Quantum quiſque ſociorum & in lucro & in damno ferre debeat.

XVI. XVI. Cùm ergo omnis ſocietas, lucri in commune faciendi gratia coëatur, & cùm non ſemper lucrum, ſed ſæpe etiam, præter tamen contrahentium votum, damnum obtingat; inquirendum nunc venit, quantum quiſque ſociorum & in lucro & in damno ferre debeat. Sciendum igitur eſt. 1. Aut de partibus inter ſocios nihil nominatim conveniſſe, ac tum tacitè actum intelligi, ut æquales lucri & damni partes ferant; [t] (*nullum autem lucrum intelligitur*, docente nos Paulo, ex Mutio, *niſi omni damno deducto, neque damnum, niſi omni lucro deducto.* [u]) *In contractibus enim, natura æqualitatem imperat, & ità quidem,*

r *l.* 2. *ff. de obl. & act.* s *l ſocius ſocio.* 72. *ff. pro ſoc. & Inſt. lib.* 3. *hoc tit.* t *l. ſi non fuerint* 29. *ff. princ. hoc tit.* u *l. Mutius* 30. *ff. pro ſocio.*

dem, ut ex inæqualitate jus minus habenti oriatur, ut pluribus probat autor Commentarii de Jure Belli & Pacis, [x] quæ in ſocietate maxime obſervanda eſt, *cum locupletari nemo debeat cum alterius injuria.* [y] Æquales autem partes cum dicimus, id non de æqualitate Arithmetica intelligi volumus, ac ſi in impari collatione, æquales partes pro numero ſociorum, non conſiderato eo quod quiſque contulit, quiſque ſociorum ferre debeat; ſed de Geometrica, & rebus collatis analoga, ut eadem ſit ratio inter ea quæ ſocii contulerunt, & lucrum vel damnum quod ex ſocietate ſentiunt; ut puta qui duplum in ſocietatem contulit, duplum ex lucro capiat, qui dimidium contulit, dimidium percipiat; [z] quo jure veteres Græcos uſos fuiſſe ait Philoſophus, [a] quoque ſocios uti etiam vult, præcipiens, *ut qui, in pecuniarum ſocietate, plura contulerit, plura accipiat*; [b] cum nihil æquius ſit, quam ut quiſque pro ratione ſortis, quam in negotiationem contulit, lucrum ſentiat, [c] 2. Aut certa inter contrahentes pacta interveniſſe, ac tum pactiones ſanctè ſervandas eſſe, magna quamvis in partibus lucri, vel lucri & damni, inæqualitas eſſe videatur, (ut ex. gr. ſi pactum fuerit ut ad unum ſocium duæ partes lucri pertineant, ad alterum tertia tantum; item ut ad unum ſocium duæ partes lucri,

x *lib. 2. cap. 12. Sect. 8.* y *l. locupletari 48. ff. de reg. jur. l. nam hoc natura 14 ff. de condict. indebiti. l. jure naturæ 206. ff. de reg. jur.* z *l 6. & Nov. Leon. 103. ff. hoc tit.* a *Ariſt. Polit. lib. 3. cap. 6.* b *Idem Lib. ad Nico. lib. 8. in fin.* c *l. 6. l. quid enim 80. ff. hoc tit.*

& tertia tantum pars damni, ad alterum verò duæ damni partes, una ſolum lucri pertineant: item ut unus ex ſociis partem lucri accipiat, ſi lucrum obveniat, partem vero damni non ſentiat, ſi damnum contingat, alii verò æquales damni & lucri partes ferant) non modo quia ratio exigere videtur, ut expreſſa conventio ultra naturam ordinariam contractus operetur; [d] ſed etiam quia partium inæqualitas, pecuniæ collatæ ratione, illius, cui lucri plus & damni minus tribuitur, opera atque induſtria compenſari poteſt, ut juſtum ſit hunc meliore conditione ad ſocietatem admitti. [e] Hoc tamen hic obſervandum eſt, pactionem illam iniquam omnino videri, atque improbari, qua lucrum ſociorum uni omne addicitur, damnum verò ſolum alteri relinquitur, cum ſi quid ſocietatis naturæ repugnet, id maximè, illámque ſocietatem, appellatione ex Apologo ducta, veteribus Leoninam dici. [f] 3. Nec hoc prætereundum eſt, quod ſi in una cauſa pars fuerit expreſſa (veluti in ſolo lucro, vel in ſolo damno) in altera verò omiſſa, in eo quoque quod prætermiſſum eſt, eandem partem ſervari, [g] quando nimirum utriuſque par ratio eſt, ut in ſpecie modo propoſita, cum ſim pactus de duabus partibus lucri, ſi nihil de damno expreſſum fuerit, duas damni partes ſuſtinebo.

XVII. *Propria hujus contractus.*

XVII. Id omnibus contractibus commune eſt, ut rebus adhuc integris, & voluntate omnium, ab inſtituta conventione recedere

d *l. contractus 23. ff. de reg. iur.* e *Inſt. lib. 3. hoc tit.* f *l. 29 ff. ſocii. 2. hoc tit.* g *Inſt. h. c. it.*

cedere sit concessum, idque juxta communem legem *Quæ consensu contrahuntur, invicem liberantur.* [h] Sed hoc Societatis proprium est, quod collatione & communicatione jam facta, ab ea, vel unius voluntate, recedi possit, quodque proprio suo quodam jure & suis quibusdam modis, nunc nobis paucis explicandis, solvatur. 1. Hoc non videtur hujus contractus proprium, sed aliis commune esse, ut fine negotio imposito, propter quod Societas contracta fuit, Societas extinguatur; [i] vel si ad certum tempus contracta fuerit, ut tempore exacto, ea expiret. [k] 2. At hoc contractus hujus maxime proprium est, & jure communi receptum, ut unius socii renunciatione, altero etiam invito, imo quamvis ab initio convenerit, ut societas perpetuò duraret, aut nè liceret ab ea resilire invitis cæteris, [l] societas dissolvatur; non modo quia socii officium invicem præstant & accipiunt, sed hac præcipuè de causâ, quod non bene cum natura societatis, quæ rationem & jus quoddam fraternitatis habere creditur, [m] convenire videatur, aliquem invitum retinere in commune; quippe cujus materia discordias inter non consentientes excitare solet. [n] Diximus quidem superius, in contractibus nominatis non esse locum pœnitentiæ, sed hoc de illis tantum intelligen-

h *ff. Sect. ult. inf. quib. mod. toll. oblig.* i *l. actione 65. ff. Sect. item si. 10. d. l. verum 63. Sect. ult. eod.* k *l. actione ff. Sect. item qui 6.* l *l. nulla. 70. ff. hoc tit. contemnere liceat. l. 14. eod.* m *l. verum 63. ff. prine. hoc tit.* n *l. cum pater. 77. ff. Sect. dulcissimus. 20. de legat. 2. l. ult. C. commun. divid.*

dum est, qui initio voluntarii, postea necessarii sunt. [o] Ea tamen lege renunciationem valere dicimus, si injuria caruerit; injuria autem non carere intelligitur, non tantum quæ callidè facta sit propter proprium lucrum & cum damno sociorum; [p] verum etiam quæ facta sit absenti, quoad is scierit; [q] vel intempestivè, id est, ante tempus conventum, aut eo tempore quo res societatis coëmptas, non distrahi, omnium interest. Insidiosæ quidem ejusmodi renunciationes hactenus, ex jure civili, valent, ut liberent socios à renunciante, sed non renunciantem à sociis; qui enim sic renunciat, damni particeps, lucri expers manet; [r] quod ab æquitate naturali non recedit, quæ docet, ut *Quod quisque juris in alium statuerit, ipsum quoque eodem uti debere.* [s] 3. Unius socii morte solvitur universa societas, etsi plurium consensu contracta fuerit, [t] nisi in coëunda societate aliter convenerit: & hac in re recedit hic contractus ab aliis, in quibus placet hæredem in obligationem & jus defuncti succedere, quod nec hic nec in mandato locum habet, cùm in societate non tantum rei familiaris, verum etiam insuper fidei & industriæ, quæ ad hæredes non transeunt, ratio habeatur; *qui enim societatem contrahit, certam personam sibi eligit*; [u] ità ut non valeat pactum societati appo-

o *l. 5. C. de ob'. & act.* p *Inst. lib. 3. hoc tit. Sect. manet.* q *l. 17. ff. Sect. 1. eod.* r *d. l. 17 ff. Sect. 1 l. actione 65. ff. Sect. 3. 5. & 6. eod.* s *l. 2 ff. Sect. 2. quod quisque.* t *l. 4. ff. Sect. 1. l. nemo. 35. l. cum duobus, 52. Sect. idem 9. l. actione 65. Sect. morte. 9. hoc tit.* u *Inst. Sect. solvitur adhuc hoc tit.*

appoſitum, *ut hæres in ſocietate ſuccedat*, niſi ſit vectigalium ſocietas. [x] 4. Nec morte naturali modo, ſed civili etiam, ſocietas extinguitur, capitis nimirum diminutione & bonorum publicatione, cùm unus ex ſociis, ſeveritate ſententiæ aut in ſervitutem redigitur, aut in inſulam deportatur. [y] Quibus enim libertas aut civitas adempta eſt, hi jure civili pro mortuis habentur. [z] 5. Amiſſione bonorum omnium, & egeſtate extremâ ſolvitur etiam ſocietas, cum nimirum ſociorum unus, civitate ſalvâ, ære alieno obrutus, bonis ſuis creditoribus cedere cogitur; [a] cum enim ſocietas, bonorum in commune quærendorum causâ contrahatur, non magis bonis ſublatis ſocietati locus eſſe poteſt, quàm ſublata perſona ſocii; niſi propter operam & induſtriam ſolam, in ſocietatem receptus fuerit, & bonis amiſſis ſperatam operam præſtare poſſit.

XVIII. Quarta ac poſtrema ſpecies, eſt *Mandatum*, quod definiri poteſt, *Contractus qui conſenſu perficitur, de alieno negotio, gratis, periculo mandantis, bonâ fide, gerendo*; vel brevius, *Contractus, quo aliquid licitum & honeſtum gratuitò gerendum committitur & ſuſcipitur*. Pythagoram, fabulatur Ælianus, [b] eodem die & eadem hora, Metapontii & Crotone, Magnæ Græciæ quondam urbibus, ſed trium, quatuórve dierum itinere à ſe invicem diſſitis, fuiſſe viſum; ſed Amphitruo id ſibi perſuadere nequit.

XVIII. *Contractus mandati quid?*

Tu

x *l. nemo* 35. *l. adeo.* 59. *ff. pro ſocio.* y *l.* 1. *de bon. damn. l.* 8. *ff. Sect.* 1. 2. *qui teſtam. fac.* z *l. verum ff. Sect. ult.* a *l.* 4. *ff. Sect.* 1. *hoc tit.* b *Ælian. variar. Hiſt. lib.* 4. *cap.* 17.

Fun', inquit Sosiæ, *id dicere audet, quod*
nemo unquam homo antehac
Vidit, nec potest fieri, tempore uno
Homo idem duobus locis ut simul sit? [c]

Detur hoc Philosopho, qui se præstantiorum seminum commixtione natum prædicabat, quam quæ mortalitatis legi essent obnoxia; hoc privilegio tamen nulli mortalium unquam uti concessum fuit. Cum igitur unus idemque homo non possit omnibus in locis, ubi res ejus agitur, simul apparere, indigeatque vicaria opera, proximum est ut amici vel noti saltem hominis, fidem imploret, cui negotium suum gerendum commendet; eumque natura hominem homini benefacere, & ea, vel ignoto, officia præstare jubeat, *quæ*, ut ait Orator, *accipienti utilia, danti verò molesta non sunt*: [d] ex mandantis indigentia, ab una parte, & suscipientis humanitate, ab altera, contractum hunc originem suam traxisse censendum est, cujus natura paucis nunc nobis exponenda est.

XIX. *Propria hujus contractûs.*

XIX. Id igitur 1. animadvertendum est, Mandati materiam seu objectum esse, res tantùm, mandanti & suscipienti, licitas & honestas, turpium autem & illicitarum, nullum mandatum, nullámque in universum, ex ullo contractu, inter contrahentes, obligationem esse: [e] Si enim Pamphilus Phædro mandavit, ut pro Glycerio meretrice fidejubeat, aut ipsi pecuniam credat, & Phædrus sciens mandatum suscepit, non habebit

[c] *Plaut. in Amphitr. Act. 2 Scen. 1.* [d] *Cicero offic. lib. 1. c. l. 6. ff. S. tit. 3. hoc tit. l. nec prætermit. 57 ff. pro socio. l. generaliter. 26. cum seq. l. si flagitii 123. ff. de verb. oblig.*

bebit utilem actionem in Pamphilum, quia simile est, ac si adversus bonam fidem fecisset, aut perditurо credidisset: [f] verum quidem est in flagitiosis, & qui mandavit & qui exsecutus est, utrumque ex delicto obligari, nam si Titius, exempli gratia, Caji mandatu, ædes sacras spoliaverit, Cajum non excusat, quod Titius facinus perpetravit, neque Titium quod Cajus mandavit, atque hoc in tantum procedit, ut Cajus parem cum Titio pœnam sustineat; [g] nulla tamen inter Cajum & Titium ex ejusmodi contractu oritur obligatio; neque enim si Titius susceptum flagitium non perpetravit, Cajus quidquam ab eo, ex mandato exigere potest, propter mandati turpitudinem; neque si Titius perpetrato facinore, bonis mulctetur, impensas à Cajo, utilis judicio consequi poterit, quia proprii delicti pœnam præstat. [h] Id 2. Observandum est, mandatum, vocis quidem proprietate, unius factum designare, hic tamen pro toto contractu & duorum facto accipi, mandantis scilicet, & negotium suum alteri gerendum committentis, ab una parte, & mandatarii, amici negotium in se recipientis ac suscipientis, ab altera. 3. Mandato dato & suscepto statim ex consensu obligationem nasci, & qui suscepit, susceptum consummare, & vicissim qui mandavit eum indemnem præstare debere; eoque nomine mandanti competere actionem mandati directam,

f *l.* 12. *ff. Sect. si adolescens* 11. *eod. l.* 8. *pro empt.* g *l. nihil interest ff. Sect.* 1. *ad leg. Cor. de Sicar. l.* 11. *ff. Sect* 3. *de injur. l* 5. *C. de accusat. l. pen. C. si reus vel accusat.* h *l. si mandavero ff. Sect. qui edem* 6. *hoc tit.*

rectam, mandatario contrariam sive utilem. [i] 4. Posse & inter absentes mandatum per nuncium vel per epistolam contrahi, cum ad mandati obligationem consensus solus requiratur; nec referre quibus verbis mandans utatur *rogo*, an *volo*, an *mando*, an alio, modo mandatum esse intelligatur: [k] commendatitia tamen verba vel scripta, mandatum non haberi, nec obligationem inducere; [l] etiamsi aliquid in amicum commendatum, ex commendationis contemplatione, collatum, creditúmve ei fuerit. [m] 5. Mandatum interdum, tacitè etiam, contractum intelligi, veluti si patiar aliquem pro me fidejubere, aut ab alio mandari, ut mihi credatur. [n] 6. Hoc ad mandati naturam etiam pertinet, ut sit gratuitum, cum ex officio & amicitiâ originem trahat, & amicitiæ contraria sit merces. [o] Mercede autem certa aut incerta constituta, mandatum in locationem-conductionem aut alium innominatum contractum degenerare; ac idcirco placere mandatum non dici, negotium quod ejusmodi homini committitur, qui ex negotiis gerendis mercedem aut salarium percipere solet (nisi id se gratis, & amicitiæ causa, suscipere expresè significet) ut si, exempli gratia, proxenetæ mandem, ut mihi ædes emat; vel negotium forense causarum patrono vel procuratori commendem, quod municipalia jura nostra ipsis concedant salarium,

i *Passim ff. & C. hoc tit.* k *l. 1. ff. princ. Sect. 1. & 2. cod.* l *. fideicommissa 11. ff. Sect. 2 de legat. 3.* m *Si verò 12. ff. Sect. cum quidam 12. hoc tit.* n *l. 6. ff. Sect. 2. l. qui patitur ff. 18. eod.* o *l. 1. ff. Sect. ult. l. ita ut. 36. ff, Sect. 1. hoc tit.*

larium, quantumvis nullum pacti sint, pro patrocinio & navatâ operâ petere atque exigere: [p] gratiam tamen officiis referri, gratuitámque operam remunerari, honestum ac conveniens esse judicamus; hócque huic contractui cum depósito & commodato commune est, quod mandatum esse non desinat, etsi remunerandi causa honor intervenerit. [q] 7. Nec hoc prætermittendum est, Imperatorem, [r] nobis ex Gajo, [s] Mandati divisionem quinque partitam, eamque à fine desumptam, proponere, quod scilicet mandatum contrahatur, vel mandantis tantum gratiâ, vel mandantis & mandatarii, vel alienâ tantùm, vel mandantis & alienâ, vel mandatarii & aliena, quorum modorum exempla plura ibidem proferuntur: addere huic divisioni & sextum membrum possumus, nimirum mandati, quod mandantis, mandatarii & aliena causa contrahitur, veluti cum tutor contutori suo mandat negotium pupilli gerendum; hoc enim mandatum est in gratiam pupilli, quia res ad eum pertinet; nec non mandantis & mandatarii, quia uterque pupillo tenetur actione tutelæ, nisi negotium pupilli rectè geratur. [t] Mandatum autem quod solius mandatarii gratia fit, consilium magis quàm mandatum est, & idcirco obligationem nullam parit; [u] modo dolus absuerit, nam de dolo actio in eum competit, qui consilium fraudulentum, quo alteri nocitum est, dedit.

p *Vide Vinnium ad hunc tit. Inst. & D. D. ab eo citatos.* q *l. 6. ff. pr. eod.* r *Inst. lib. 3. hoc tit.* s *l. 2. ff. hoc tit.* t *l. 8 procuratorem ff. 8. Sect. si tutor. ex. hoc tit. ul. 2. ff. pr. & Sctum. uls. eod. l. 6. ff. Sect plane 5. l. Quintus. 48. ff. Sctum. uls. eod.*

dit. [x] *Qui enim consilium dat, fidem præstare tenetur.* [y]

XX. *Quid in hoc contractu à mandante requiratur.*

XX. In hoc bonæ fidei contractu, jus naturale exigit, ut mandans mandatarium per omnia immunem præstet, sed ea lege, ut mandatarius ad præscriptum agat, atque in exequendo mandato caveat, ne mandati fines egrediatur, aliúdque faciat, quam quod ei mandatum est; alioquin enim si Cajus Titio mandaverit ut in diem fidejubeat, & purè fidejússerit & solverit; vel si in mandatis dederit ut ædes emat, & ædes una cum prædio emerit; vel si eum rogaverit, ut Sejanas ædes emat, & Mævianas emerit; Titius tanquam non impleto mandato, impensarum repetitionem contrario judicio in Cajum non habebit, quamvis ipse directo teneatur; [z] quippe quod ad præscriptum non egerit, ut in prima specie; vel mandati fines excesserit, ut in secunda; vel aliud quid egerit, ut in ultima videre est. [a] In finibus mandati constituisse videtur, qui fecit æquipollens; veluti, si Titius, rogatus fidejubere pro Cajo apud Mævium, mandavit creditori Mævio, ut Cajo crederet. [b] Hoc autem æquitati consentaneum esse judicamus, ut qui minoris rem vendidit quam in mandatis habeat, si quod deest, mandanti præstet, mandatum rectè ex voluntate mandantis impleße videatur; & ut qui pluris rem emit, quam ei mandatum fuerat, in tantum duntaxat utilem actionem in mandantem

x *l. consilii 47. ff. de reg. jur. l. cum quis ff. 31. de dolo. l. 2. de proxen.* y *Cic. ad Attic. lib. 6. Epist. 8.* z *l. potest 41. ff. hoc tit.* a *l. 5. ff. Sect. 2. & 5, eod. l. si mandavero. 22. ff. eod.* b *l. ult. ff. Sect. ult. eod.*

dantem habeat, in quantum mandati fines non exceſſit, ut hic locum habeat regula, *quod nihil per inutile non vitiatur.* [c] Qui verò rem aliquam pluris vendidit, vel minoris emit, quam injunctum fuerat, non aliud, ſed illud ipſum facit, quod ei mandatum eſt; *quippe multum refert cauſa mandantis melior fiat, an deterior.* [d]

XXI. Solvitur etiam hæc conventio, itidem ut ſocietas, proprio ſuo quodam jure, & ſuis quibuſdam modis. Solvi quidem poteſt mandatum jure communi, ſi re adhuc integrâ, mutuo conſenſu, a contractu recedatur; ſed placet etiam mandatum 1. *Revocatione* ſolâ mandantis ſolvi, quia is, qui mandavit, non obligatur ad hoc, ut quod ſemel mandavit perfici patiatur; nec habet quod quæratur mandatarius, ſi re adhuc integra revocatio facta ſit; vel ſi poſtquam res integra eſſe deſiit, immunem eum mandans, ob ante geſtum, aut geſtum, antequam ſciret mandatorem, ſive expreſsè, ſive tacitè, mandatum revocaſſe, ab omni damno præſtet; hoc enim in caſu, jus civile ac naturale mandati actionem mandatario largitur, ut conſequatur quod ei propter mandatum abeſt. [e] 2. Ut revocatione mandantis, ita & *Renunciatione* mandatarii mandatum ſolvi placet: quod enim officii cauſam habet, non magis reluctanti extorqueri, quam invito obtrudi convenit; ita ut mandatarius ab initio aliter obligari non intelligatur, quam ſub hac disjunctione, ut aut impleat mandatum, aut in tempore renunciet.

XXI. *Quot modis hic contractus ſolvatur.*

c l. 1. *Sect. ſen. ff. de verb. oblig.* d l. 3. *ff. pr.* & l. 5. *ff. Sect. ult. eod.* e l. 15. *l. inter.* 2^c. *ff. p. hoc tit.*

hunciet. [f] Tempestiva renunciatio esse judicatur, si integra facultas mandatori servetur negotium per se, vel per alium expediendi; intempestiva, si jam mandator neque per se, neque per alium, idem negotium commodè explicare potest. Planè ergo uti mandator revocare tenetur re integra, ità etiam mandatarius renunciare debet tempestive, alias enim ut mandatarius ex antegesto actionem utilem in mandantem habet, sic ex intempestiva renunciatione vel neglecto negotio, competit actio directa mandanti in mandatarium, non quidem ut mandatum præcisè impleat, sed ut præstet, quod mandantis interest impletum esse. [g] Cum autem intempestivâ renunciatione mandatarium non liberari docemus, id benigne intellectum volumus, nisi nimirum justa causa interceserit, veluti si propter morbum, aut tempestatem, aut incursum hostium, non potuerit suo tempore mandatori renunciare. 3. *Morte* etiam tam mandantis, quam mandatarii, mandatum extinguitur, [h] nec hæres hac in parte in defuncti jus succedit, quod nimirum mandatum, nec mandantis nec mandatarii personam egrediatur, [i] & cum eorum persona mandati obligatio expiret. [k] Ac idcirco mandatore extincto, is qui mandatum susçepit, id implere non tenetur, nec mortui hæredes obligantur, ut patiantur eum mandatum

f *l. si mandavè 9. 22. ff. Sect. ult. l. si quis. l. 27. ff. Sect. 2. hoc tit.* g *l. si quis. 13. ff. Sect. 1. de re judic. & Sect. ult. sup. de verb. oblig.* h *l. inter. 26. ff. & l. si q. Sect. 3. l. mandatum. 57. & l. seq. hoc tit. l. 15. Cod. eod. l. ult. de solut.* i *l. mandatum. 57. ff hoc tit. & l. 9. de curat. fur.* k *l. 8. ff. Sect. 3. de lib. legat.*

tum exequi; [l] nisi mandatum ejusmodi sit, quod post mortem mandatoris non finiatur, sed omnino implendum sit, imo non nisi post mortem ejus impleri queat; veluti, si cui funeris sui curam mandaverit: [m] vice versa mandatario defuncto, quod ille suscepit, hæredes ejus exequi non tenentur, & si sponte exsecuti fuerint, actionem utilem in mandantem non habent. [n] Hoc autem sic intelligi volumus, si nimirum re adhuc integrâ mors intervenerit; at postquam mandantis vel mandatarii interesse cœpit, obligatio mandati, & actio ante obitum nata, perseverat; [o] actio enim mandati statim competit, cum cœpit interesse, & semel alterutri quæsita, neutrius morte intercidit. [p] Hoc autem hîc observari volumus, justam & probabilem mandatarii ignorantiam, ei nocere non debere, ut si ignorans mandatorem decessisse, negotium demandatum executus fuerit; quamvis enim secundum stricti juris rationem, agere mandati non possit, ex æquo tamen & bono utilem actionem ei minimè esse denegandam contendimus; [q] quippe, in hoc judicio, de bona fide agitur, cui non congruit de apicibus juris disputare; [r] Atque hoc ipsum æquitatem, in ignorantia juris, etiam postulare videtur, ut si mandetarius, non ignarus mortis mandatoris, errore juris persuasus, id sit incumbere, mandatum impleverit,

P [s]

l *d. l. inter.* 26. m *l.* 14. *ff. Sect.* 3. *de relig. l.* 12. *ff. Sect.* 11. *& l. seq. hoc tit.* n *l. si quis*, 27. *ff. Sect.* 3. *l. mandatum.* 57. *ff. hoc tit.* o *l. inter.* 26. *ff. sic. d. l. mand.* 57. *& l. seq. eo l.* p *l.* 8. *ff. Sect. mandati.* 6. *eod.* q *l. inter.* 26. *ff. l. si præced tit* 58. *hoc tit.* r *l. si fide jussor* 29. *ff. Sect. quædam* 4. *eod.*

verit, [r] alias enim, cum de damno vitando agitur, error juris nocere non solet. [s]

XXII. *Contractus constituti quid sit & quæ sint ejus propria.*

XXII. His ità de contractibus, qui consensu, gentium jure, celebrantur, pertractatis; restat nunc ut ad illos accedamus, quos consensu etiam solo, sed jure civili contrahi, treſque numero esse, supra diximus, & quos verbo uno atque altero hîc attigisse sufficerit. Et primò quidem se offert *Constitutum*, quod definire possumus, *Conventionem, qua quis spondet, se debitum soluturum.* Ad conventionis hujus naturam intelligendum, sequentia hæc observanda veniunt, 1. Cùm constitutum sit de solutione, & solutio nulla sit, nisi rei debitæ sit solutio, [u] constitutum omne præsupponere semper debitum, [x] & debitum quidem, quod tum fuerit, dum constitueretur: [y] debitum etiam qualecunque & ex quacunque causa proveniat, intelligi, sive emptionis, sive tutelæ, sive dotis, dummodo utiliter peti possit, sufficere etiam ad hunc contractum, debitum naturale ex testamento, imo & honorarium patris & domini de peculio, non autem civile, [z] quod indebitum dici possit, quod jure tantum civili est debitum. [a] 2. Cùm etiam una res pro alia solvi possit, exempli gratia, pecunia pro frumento, & vice versâ, frumentum pro pecunia, dubitari non posse quin constitui aliud possit, quam quod debetur, [b] modo constitutum debiti valorem non excedat; Quamvis

s *l. mandatum* 57. *ff. eod.* t *l.* 7. *& 8. ff. de jur. & fact. ignor.* u *Inst. quib. mod. toll. obl. in pr.* x *l.* 1. *Sect.* 1. *ff. de pecc. constit.* 2. *Cod. eod.* y *l. item ff. Sect.* 1. *l.* 1. *ff. Sect. pen. eod. tit.* z *l.* 1. *ff. Sect. debitum* 6. *& seq. tit. eod.* a *l.* 3. *ff. Sect.* 1. *tit. eod.* b *l. in pr. ff. Sect.* 5. *an possit, tit. eod.*

vis enim 3. viginti debens, & decem constituens, teneatur ut decem præstet, [c] non tenetur tamen viginti præstare, qui decem tantum debens, viginti constituit, [d] cum utrobique ratio eadem non militet; si quidem in prima specie, nullum damnum patitur constituens, nam in eo quod plus est, minus est, & qui viginti debet, non læditur si decem solvat, quæ etiam debet; at in secunda, æquitas naturalis docet, constitui non posse quæ non debentur, & si per errorem constituta sint, ut constituens, in id tantummodo teneatur, quod debetur, juxta regulam, quod utile per inutile non vitietur, [e] non vero in id quod non debetur: si per errorem, inquam, alia enim scientis ac volentis est ratio, tenetur enim, qui plura quam debet, sciens ac volens, constituit, non quidem ex constituto, sed ex donatione, in quam constitutum tum degenerare dicendum est. 4. Nec modo aliud quam quod debetur, sed & quod debetur citeriore die, aut alio loco, quam quo dari oportet, [f] & quod pure debetur, sub conditione constitui posse. [g] 5. Nihil autem interesse, utrum debitor, an alius, constituat, cum quisque, pro se & pro alio, constituere possit: [h] quod hactenus valere censet Pomponius, etiamsi nullus appareat, qui interim debeat, ut puta, si ante aditam hæreditatem debitoris defuncti, constituat quis se soluturum, quoniam debita pecunia con-

c *l. hactenus ff. Sect. ult. sed si quis. tit. eod.* d *d. l. Sect. 2. si quis. tit. eod.* f *l. 1. ff. Sect. 5. aut prof. l. 4. l. 5. in pr. hoc tit.* g *l. id quod ff. 19. pr. & Sect. 1. eod.* h *l. cum qui ff. Sect. 2. quod exigimus. tit. eod.*

ſtituta eſt. [i] Nec referre etiam cui conſtituatur, ſive creditori ipſi, ſive alii, modo pecunia debita ſit. [k] 6. Conſtitutum ſponſione quidem fieri, ſed ſponſione nudum pactum hîc intelligi, & mediæ quidem naturæ inter pollicitationem, quæ eſt promiſſio facta alteri tacenti, & non roganti; & ſtipulationem, quæ conceptis verbis fit, quibus aliquid interrogatur, & congrue promittitur. 7. Sponſione verò factâ & acceptatâ, obligationem ex conſenſu ſtatim naſci, & actionem ei cui conſtitutum eſt, in conſtituentem dari, non civilem quidem (hac voce in ſtricta ſua ſignificatione ſumpta) quam nudis pactionibus Romanorum leges ſemper denegarunt, ſed Prætoriam, ab edicto Prætoris ſcilicet, naturali æquitati faventis, vim omnem accipientem, quia ut Ulpianus ait, [l] grave eſt fidem fallere, in hac ſpecie ſcilicet, ubi quod jam ex aliqua præcedenti cauſa debetur, novâ conventione ſtabilitur atque confirmatur; Prætor enim, conſtituta conſenſu facta, cuſtodire ſe velle edicit, [m] ſed hac lege, ſi appareat eum qui conſtituit, neque ſolvere, neque feciſſe, neque per actorem ſtetiſſe, quo minus fieret quod conſtitutum eſt; [n] ſi enim per ipſum ſteterit, quo minus ſolutio à conſtituente fieret, non debitum quidem amittit, quod iniquum eſſet, nec etiam debiti actionem, quocunque nomine illa veniat, hoc enim juri civili repugnat, ut propter moram in accipiendo, actio actori pereat; [o]

Sed

i *d. l. baſſianus. in prin. tit. eod.* k *d. l. eum qui ff. Sect. 2. eod.* l *l. de pec. conſt. in pr. ff.* m *Ibid.* n *l. ſi duo. 16. ff. Sect. 1. eod. tit.* o *l. illud ff. de per. & com. rei vend.*

Sed actionem tantum ex constituto non consequitur, quam ei Prætoris benignitas, sub hac conditione indulsisse dicendum est; Nimirum Prætori, novam actionem præter regulam juris inducenti, visum est, eam sic proponere, ut quam mitissimè cum reo ageretur, & quæcunque culpa posset actori in accipiendo objici, nè actio daretur. p 8. Observandum etiam hic est, constitutum, priorem actionem non innovare, q sed ei accedere, eumque etiam, pro quo alius constituit, adhuc obligatum manere, q hâncq; constituti speciem multa cum fidejussione communia habere, veluti quod liberato priore seu principali debitore, liberetur & pecuniæ constitutæ reus; r quod pro alio constituenti, ordinis & discussionis, s & si plures sint pecuniæ pro alio constitutæ, divisionis t etiam beneficium, non minus quam fidejussori, tributum sit & competat: cæterum in multis, ex jure civili Romanorum, à se invicem discrepare, quod pro se nudo pacto, ab absente, aliud pro alio, citeriore die, & alii, constitui possit, fidejussio autem nihil istorum admittat; sublata vero nunc pacti & stipulationis differentia, quæ Græcis etiam olim ignota fuit, vix municipalia jura nostra, uti & Græca, constituti & fidejussionis discrimen agnoscere.

XXIII. Contractus *Emphyteuticus* nunc sequitur, ab insitione, quæ Græcis ἐμφύτευσις, sic dictus, ab agris incultis videlicet, originem trahens, qui, quod colonum non re-

XXIII. *Contractus Emphyteuticus quid; & usus proprius.*

p *Vinn. ad tit. Inst. de actio. Sect. de institut. Donell. comm. lib. 13. cap. 22.* q *l. ubi quis. 28. ff. eod. tit.* r *l. in omnibus. 43. ff. de solut.* s *Novel. 4. c. 1.* t *l. ult. C. hoc tit.*

perirent, ob ſumptus in eorum culturâ, cujus inſitio pars præcipua eſt, neceſſario faciendos, in perpetuum locari cœperunt. Celebratur enim *cum dominus prædia ſua alicui habenda & fruenda in perpetuum tradit, certa penſione in ſingulos annos conſtituta, ea lege, ut quamdiu penſio domino ſolvetur, tamdiu neque ipſi colono, neque iis qui in locum ejus ſucceſſerunt, ea auferri poſſint.* Ut contractus hujus naturam penitus cognoſcamus, obſervandum eſt, 1. quod ad voces attinet, *Emphyteutam* ſive *Emphyteuten*, & *Emphyteuticarium* dici, qui fundum, agrúmve, ea conditione ut dictum, colendum & fruendum accipit, nec non *perpetuarium conductorem* quandoque appellari, quod jus ejus in perpetuum duret, modo penſionem ſolvat: *Emphyteuticum jus*, quod & *perpetuarium* etiam, vel unica voce *emphyteuſis* dicitur eſſe, quod acquirit emphiteutes propter meliorationem agri, quam Græci ab inſitione ἐμφύτευμα, & à labore ſeu culturâ ἐπίπονον vocant: agros eâ conditione traditos, *emphyteuticos*, ac *vectigales* aliquando (præcipuè ſi publici ſint) appellari: quod verò ab emphyteuta penditur, *penſionem, canonem* & *vectigal* dici. 2. Hunc contractum ab incultis ac ſterilibus agris originem quidem ſuam traxiſſe, ſed cultiſſimos ac fertiliſſimos poſtmodum agros eadem conditione colonis fuiſſe traditos, imo etiam in ædibus tale jus obtinuiſſe. u 3. Hac conventione id agi, ut non modo pleniſſimum jus utendi, ſed veluti dominium quod-

u *auth. ſi quas ruinas. C. de SS. Eccleſ. l. 15. ff. Sctl. ſi de vect. 26. de damn. infect.*

quoddam & poteſtas in emphyteuten tranſferatur, rem ſibi traditam, alienandi, hoc eſt, vendendi, donandi, permutandi, &c. ſed ea lege, ut ſi eam donare aut permutare velit, donationem aut permutationem domino ſignificare teneatur, quo dominus novum emphyteutam, accepto laudimio, hoc eſt, quinquageſima parte pretii fundi (quod etiam in ſucceſſione locum habet) in poſſeſſionem admittat; [x] vel ut canon pro eo tempore duplicatus, laudimii vice, ipſi ſolvatur. [y] Vel ſi eam vendere in animo habeat, ut emendi prærogativam domino prius offerat, cum æquum ſit dominum extraneo emptori præferri, dum intra duos menſes à facta denunciatione, tantundem offerat. [z] Quamquam paſſim apud Batavos uſus obtineat, ut emphyteuta jus ſuum etiam vendere irrequiſito Domino poſſit; [a] ſed tum habet dominus jus προτιμήσεως ſeu retractus, eoque uti poteſt intra annum ex quo ſcire cœperit prædium eſſe alienatum. [b] 4. Penſionis præſtationem, partem eſſe eſſentialem hujus contractus & argumentum reſervati dominii. Quamdiu autem penſio ſuo tempore ſolvitur, non licere domino agrum ab emphyteuta auferre; ſi vero triennio toto in mora fuerit, tum jure ſuo emphyteutam cadere, [c] imo biennii ceſſatione in emphyteuſi eccleſiaſtica, jus ſuum amittere: [d] niſi quid ſecus privata pactio ſuadeat, vel dominus poſt ceſſationem tanti

x *l. 3. In fin. verſ. ſed ne hac. C. hoc tit. de jure Emphyt.* y *Grot. lib. 2. cap. 20. Introd. ad jus Batav.* z *d. l. 3. verſ. ſed ne hac. C. hoc tit.* a *deciſ. Cur. Holland. 59.* b *Grot. dicto l.* c *l. 2. C. de jure emphyt.* d *auth. qui rem. C. de SS. Eccleſ.*

temporis penſionem elapſam receperit, cum hac receptione caducitati renuntiaſſe videatur. [e] Æquitatem tamen, quam Bataviæ jura recipiunt, [f] poſtulare, ut celeri ſatisfactione mora purgari poſſit. 5. Hunc contractum conſenſu ſolo perfici, & agri ſundive traditione conſummari, indéque obligationem & actionem naſci, & Emphyteutæ quidem, non in rem quidem, ſi res nondum tradita fuerit, ſed in perſonam tantum, actionem competere, cum ea contractuum natura & vis non ſit, ut rem aliquam immediatè noſtram faciant, ſed ut alium nobis ad aliquid dandum aut præſtandum duntaxat obligent. [g] At re tradita utilem actionem in rem adverſus quemcunque poſſeſſorem emphyteutæ dari, quandoquidem rei traditione, jus reale, ſeu utile dominium in emphyteutem tranſeat. [h] Domino vero directam in rem, propter caducitatem fundi, ob non ſolutam ſuo tempore penſionem ab emphyteuta. [i] 6. Contractum hunc ad emptionem vel locationem referri, illiſque à nobis admunerari potuiſſe, quos juris gentium eſſe diximus, niſi Zenoni Imperatori placuiſſet hujuſmodi conventionem propriam eſſe ſpeciem contractus ab emptione & locatione diſtinctam, ac proinde non juri gentium, ſed civili Romanorum tribuendam, quamquam hac de re litem nemini movere velimus, cum non omnia eodem modo & gradu ad jus gentium referantur, & quæcunque ab aliquo, ad vitæ communis uſum conducentia, excogitata vel inſtituta ſunt, ea gen-

e *l. pen. ff. de leg. commiſſ.* f *Grot. d. l.* g *l. 3. de obl. g. & act. junct. l. traditionibus. 20. C. de pactis.* h *l. 1. ff. Sect. 1. ſi agr. veſtig.* i *d. l. 2. C. de jure emphyt.*

gentium juri adſcribi poſſint. 7. Hoc certum eſt, antiquiſſima exempla de agris, non à Romanis modo, ſed à Græcis aliiſque etiam gentibus in emphyteuſin datis, paſſim apud ſacros profanóſque autores occurrere. [k] 8. Hunc contractum, adeò quibuſdam in rebus ad emptionem, in aliis vero rurſus ad locationem accedere, ut ante Zenonis conſtitutionem, ab antiquis Juriſperitis dubitatum fuerit, an pro emptione, an vero pro locatione habendus eſſet, dum enim pleniſſimum jus non modo utendi, ſed & veluti dominium quoddam in perpetuum emphyteutæ in rem acquiritur, quod & in hæredem, & alium quemvis venditione, datione, &c. ei transferre liceat; imo & actio utilis in rem contra quemcunque poſſeſſorem datur, dixeris hic eſſe venditionem; dum verò rurſus verum & directum dominium penes concedentem manet, & annuam penſionem emphyteuta perſolvere tenetur, niſi ſuo jure cadere velit, quæ veri domini memoriam conſervaret, locationem hic veram eſſe aſſereres. 9. Diſcrimen tamen facile quemlibet perſpicere poſſe, ſi animadvertat in venditione, ſi venditor ſit dominus, per traditionem, transferri omne dominium ad emptorem, [l] unde non valet venditio ſi id agitur, nè emptor dominium acquirat: [m] in locatione vero, dominium nullum transferri, ſed rei uſum tantum concedi, [n] at in emphyteuſi medium quid accidere: quia tradens prædium in emphyteuſin

k *Geneſ. cap. 47. verſ. 24. & ſeqq. Joſeph. lib 2 cap. 4. Antiq. Judaic. Ariſt. Oeconom. lib. 2. Plutarch. in Crach. Appian. lib. 1. de bello civili.* l *Inſt. Sect. venditæ. de rerum diviſ.* m *l. pen. Sect. n.t. ff. de cont. emp.* n *l. non ſolet. 39. ff. locat.*

teusin, retinet dominium directum, ac transfert in emphyteuten dominium utile. o 10. Contractum hunc propriis pactionibus suis fulciri posse, exempli gratia, circa caducitatem, id est, intra quod tempus emphyteuta pensionem suam non solvens jus suum amittere debeat; vel circa præstationem periculi, si ager vel in totum vel ex parte pereat; veluti cæteri contractus qui ex conventione legem accipiunt; p Si verò de caducitate vel periculo nihil cautum fuerit: redire quidem fundum ad dominum, uti supra diximus, post biennii vel triennii moram: quod ad periculum verò attinet, rei totius interitum ad dominum pertinere, ità ut à die interitus emphyteuta pensionem suam solvere amplius non teneatur; partis verò rei, ad emphyteutam, qui hoc casu integram pensionem præstare teneatur. q Quamvis enim in locatione id injustum censeatur, ut parte agri eluvione amissa, vel sterilitate obveniente, integra merces à conductore locatori persolvatur, cui pensionis remissionem petere conceditur, r hic iniquum omnino videri non debet, si pensio modica fuerit, non pro modo & quantitate fructuum qui ex fundo percipi solent, sed in recognitionem dominii tantùm; alias enim putamus in hisce, sterilitatis & interitus partis fundi, casibus, aut similibus, emphyteutæ esse succurrendum, & pensionem arbitrio viri boni minuendam. 11. Hæc verò omnia, de emphyteusi propriè sic nuncupata, à nobis dicta esse, non vero de *ammodiatione*, quam vocant, sive locatione in quantum-

vis

o *l.* 1. *Sect.* 1. *ff. si ager. vectigal.* p *l.* 23. *ff. de reg. jur.*
q *l.* 1. *C. eod.* r *l. ex conditio.* 15. *ff. Sect.* 2. *& seqq. locat.*

vis longum tempus, quæ emphyteuſis aliquando, ſed abuſive, nominatur, [r] cum non ſit modus transferendi dominii; [s] abſurdum vero eſſe putare locationes omnes quæ luſtrum egrediuntur, conſtituere jus emphyteuticarium.

XXIV. Contractuum, qui conſenſu perficiuntur, & ex jure civili actionem pariunt, ultimus eſt. *Donatio in præſentiâ*, cujus natura paucis nunc nobis inveſtiganda reſtat; Ac 1. obſervandum venit, donationem aliam eſſe propriam, aliam impropriam: Propriam eſſe cùm quis, ſolius liberalitatis exercendæ gratiâ, ſic aliquid dat, ut velit accipientis fieri, nequè ullo caſu ad ſe reverti: [t] Impropriam verò eſſe quæ ſub modo, cauſa, aut conditione fit, [x] ut eſt donatio propter nuptias, vel mortis cauſa, item remuneratio vel honorarium pro officiis & operis præſtitis, quæ omnes in ſpeciem meræ donationis non cadunt, quia donari non videtur, niſi quod nullo jure cogente concedirur. [y] 2. Donationem propriam, quam & veram, abſolutam, meram, ſimplicem, directam, & inter vivos, aliquando vocant, rurſum eſſe duplicem, vel in præſentia, vel in futurum; Donationemque in præſentia eſſe, cùm verbis in præſens conceptis, dico, Dono tibi illas ædes; Donationem vero in futurum, cum verbis in futurum conceptis, dico, Dabo tibi illum fundum, vel polliceor me tibi daturum centum

XXIV. *Contractus donationis in præſentiâ quomodo celebretur & perficiatur. Item quomodo diſſolvatur.*

r *l.* 1. *Sect.* 1. *& ll. ſeq. ff. ſi ager. vect. g. l.* 1. *Sect. quod ait. de ſuperfic.* s *l. non ſolet* 39. *hoc tit.* t *l.* 1. *ff. hoc tit. & l. Senatus. ff. Sect.* 2. *de mort. cau. donat.* x *C. ii. de donat. quæ ſub mod.* y *l. donare* 29. *ff. hoc tit.*

tum aureos. 3. De donatione propria tantum, eaque quæ verbis in præsens conceptis, fit, hic agi, cui soli Imperator obligandi vim & actionem tribuit. [z] Quamvis enim naturalius nihil sit, quam hominem homini benefacere, [a] nihilque naturali æquitati convenientius, quàm liberalitatem domini, rem suam transferentis ratam haberi, [b] hócque respectu donationem juris gentium esse, rectè quis dixerit; quia tamen pollicitationis, ex jure civili, ea vis non est, ut cui aliquid promissum est, is rem promissam jure exigere possit, sed tantum ut obligationem in promittente pariat; [c] imo nec nudi pacti; [d] donationis hanc speciem legitimam, seu juris civilis rectè etiam esse dicemus, cum eam Imperator stipulationi hac in parte æquaverit, & imaginariam venditionem antea adhiberi solitam sustulerit; donatione enim dominium rerum ex jure Quiritium in accipientem non transferebatur, sed qui volebat donare cogebatur simulare venditionem, & dicis causa unum nummum accipere. [e] 4. Nec absque ratione factum arbitrandum esse, quod uni donationi actio tributa sit, alteri non item, cum istorum pactorum eadem ratio non sit: Cum enim dico, dono tibi fundum, verbis in præsens conceptis, perinde id haberi potest, quasi tradidissem, nam quibus aliis verbis uterer in re tradenda, quam his ipsis, dono tibi hoc, aut illud. Quod non idem

z *l. si quis argentum* 35. *Sect. aliæ. C. de donat.* a *Cicero in l. æl. & Sen. lib. de Benef.* b *Inst. tit. de rer. divis. Sect.* 40. *per traditionem.* c *Supra cap.* 15. *Sect.* 3. d *l. legem. C. de pactis.* e *Cent.* 1. *Disp.* 16.

dem dici potest ubi quid in futurum promittitur; [f] qui enim, exempli gratia, dicit, Cras dabo, vel polliceor me daturum, aperte significat se non dedisse. 5. Animadvertendum est, contractum hunc donationis celebrari, cum donator voluntatem suam, scripto vel sine scripto, verbis tamen in præsens conceptis, ab una parte, declarat, & donatarius eam voluntatem, gratam ac ratam, ab altera, habet; quamvis enim donatio aliquando dicatur, quæ sine acceptione est, & revera etiam datio perfecta sit, respectu dantis, atque pro tali habeatur in casu comprehenso l. 15. C. de SS. Eccles. favore Ecclesiæ; revera tamen neque donatio est sine acceptione, [g] quippe datio acceptione confirmatur, nec potest videri datum quod non est acceptum, natura contractus donatarii consensum requirente, qui in omnibus conventionibus mutuus esse debet. 6. Donatione sic peracta, quamvis nulla intervenerit stipulatio, datur donatario condictio ex lege, qua conventus donator, rem donatam tradere cogatur; sed verè & plenè demum perficitur & consummatur hic contractus, & in rem donatam donatario acquiritur dominium, doni præstatione; ità ut idem plane hîc, quod in emptione, usu veniat, quam simul atque de pretio rei inter emptorem & venditorem convenerit, perfici quidem, sed non ante, quam res tradita & pretium sit solutum, pro consummata haberi, docuimus. [h] 7. Donationem hanc igitur inter vivos, semel consensu factam, temere, hoc est, pro arbi-

[f] *Donell. Comm. lib. 13. cap 22.* [g] *l. absenti. 10 ff. hoc tit. l. hoc jure. 19 ff. Sect. 2. eod.* [h] *Supra hoc cap Sect. 7.*

arbitrio donatoris, revocari non posse, utpote qui sic donat, ut nullo casu velit ad se reverti; qua in re a donatione mortis causa, maxime differre censenda est, ubi pœnitere donatori licet, & quæ hanc in se semper tacitam conditionem habet, ut revocare liceat. [i] Quod tamen cum hac exceptione intelligi debet, nisi se donatarius, certis ex causis, (quæ numero quinque, sub quibus similes & majores debere comprehendi D D. & æquitas docent, l. ult. C. de revoc. donat. exprimuntur) collato beneficio indignum præstiterit. Si enim insignis sit illius ingratitudo, & talis quæ sceleris affinis sit aut conjuncta, donationem revocare, & tanquam ab indigno auferre naturalis & civilis æquitas concedunt, licétque donatori ex condictione agere in donatarium; [k] sed donatori solo, non hæredibus ejus, & in donatarium solum, non in hæredes ejus; quippe actio quæ adversus ingratos datur ad revocandum donationem, vindictæ cujusdam & ultionis injuriæ effectum habet, & ideo personalis est, atque actioni injuriarum in hoc similis, quam constat, hæredi ejus qui injuriam passus est, non dari. [l] Non ergo ex donationis natura, aut donatoris intentione, quas revocationi contrarias esse diximus, jus hoc ortum suum habere, sed ex accidenti & facto donatarii, insignem injustitiam pro beneficio rependentis, esse petendum, quippe si præsciviſſet donator ingratum fore donatarium, abstinuiſſet dubio procul

i *l. 1. ff. hoc tit. & l. ubi ita. 27, ff. de mort. caus donat.* k *d. l. ult. C. de revoc. donat.* l *l. his solis. ff. 7. & d. l. ult. C. de rev. don.*

cui à beneficio. 8. Denique ſciendum eſt, jus civile Romanorum neminem quidem donare, aut liberalem eſſe, vetuiſſe, ſed nè cujuſlibet ſummæ aut quantitatis donatio, ſtatim, donatoris arbitrio, rata eſſet, eam, actis publicis intervenientibus, inſinuari voluiſſe, modúmque donationibus lege Cincia primum, aliiſque poſtea Imperatorum conſtitutionibus, impoſuiſſe; [m] quippe Reipúblicæ intereſt, nè quis temere patrimonium ſuum, largitionibus exhauriat: Non ſine tamen quarundam donationum exceptione, in quibus ejuſmodi inſinuationem non deſiderant, ut, exempli gratia, quas Princeps facit, aut quæ Principi fiunt, & idcirco principales dicuntur; item quæ in redemptionem captivorum; vel ædium incendio, vel ruina conſumptarum, reſtitutionem, largiuntur, &c. [n]

XXV. His ità de pactis in genere, atq; etiam de contractibus nominatis & innominatis in ſpecie, pertractatis; ſupereſſet nunc, ut ad alteram tertii juris naturalis præcepti partem, de jure ſuo, cauſa mortis, unicuique tribuendo, gradum promoveremus, ſed cum inſtituti noſtri non ſit, quæ ad rem Teſtamentariam pertinent, hîc perſequi, eaque (jus naturæ quod ſpectat) ex generalibus, toto hoc opere ſparſim poſitis fundamentis, unicuique eruere, difficile non ſit, manum nunc de tabulâ tollimus, ingentéſque ſupremo ac benigniſſimo *Luminum Patri, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens*, [o] gratias

XXV. *Cur reliqua editor hujus operis non addiderit de proprio.*

m *l. ſancimus.* 34. *ff. Sect.* 1. *& l. ſi quis. argen.* 35. *ff. Sect. ult. C. hoc tit.* n *Ibid.* o *Jacob. cap* 1. *verſ.* 17.

gratias rependimus, quod non modo naturalis æquitatis lampadem in mentibus noſtris, natura accenderit, ſed Juſtitiæ ſupernaturalis Solem in cordibus noſtris, gratia ſua regenerante, ex alto lucere fecerit, *illuminans eos qui in tenebris & in umbra mortis ſedent, ac dirigens pedes noſtros in viam Pacis.* p

AMEN.

p *Luc. cap. 1. verſ. 79.*

INDEX

INDEX

Materiarum & Quæstionum secundum ordinem Capitum.

CAPUT I.

Quid Jus? Quid Natura? Quid Jus Naturale?

I. VOcum, Juris Naturalis, expositionem necessariam esse.

II. Juris nomen, à voce justum, quæ à jubendo venit, descendere; nisi quis malit eam à justo derivare.

III. Juris vocem variis, sed tribus præcipuè modis, accipi, 1. pro omni eo quod justum est, 2. pro qualitate juste aliquid habendi vel agendi, 3. pro lege obligante ad id quod justum est.

IV. Juris vocem primo aut tertio modo hic accipi, quæ duæ acceptiones autoritatibus probantur.

V. Naturæ vocem significationes diversas recipere, 1. aliquando pro affectibus à natura insitis, non vitiosis, sive pro naturali instinctu, 2. aut etiam pro affectibus vitiosis sumi, 3. aliquando pro primâ causâ sive Deo, 4. vel etiam pro causâ secundâ, Deo subjectâ, accipi; sed huic

materiæ quam maximè accommodatum esse, cum 5. pro naturali Dei operatione, quæ mentibus nostris insedit, naturæ vox sumitur.

VI. Ex premissis apparere, quid jus naturæ, sive naturale, sit, quod summatim describitur.

VII. Ejusmodi Jus naturale dari, duobus argumentis probari. 1. à Dei, mali osoris & boni amantis, & 2. ab hominis, ad societatem creati, naturâ.

VIII. Juris hujus notitiam ad omnes se Gentes extendere, & Oratorum, ac Poëtarum Ethnicorum, imò & Apostoli ad Rom. II. autoritate, apertissimè evinci.

IX. Duobus modis dijudicari posse, an aliquid juris sit naturalis, nec ne. 1. Ex convenientiâ aut disconvenientiâ cum naturâ rationali. 2. Ex eo quod apud omnes Gentes, aut moratiores certè, ità esse creditur.

X. Descriptio Juris naturalis, ex opere de Jure Belli & Pacis. Definitio Autoris, quod sit Lex, quam Deus, ut naturæ autor, omnium mortalium cordibus insevit, ad discernendum honestum à turpi, illud jubens, hoc vetans.

XI. Definitionis præcedentis latior explicatio. Legem dici, & speciem aliquam legis declarari. Definitio Legis datur. Legem, generaliter sumptam, dividi in naturalem & voluntariam: ad primam, legem naturæ, de quâ hic, ad alteram, omnes alias leges, sive divinas, sive humanas, pertinere.

XII. Efficientem legis naturalis causam esse Deum, ut naturæ autorem, quod divinis & humanis testimoniis evincitur.

XIII. Hanc legem, omnium mortalium cordibus insitam, dici, ut modus quo promulgata est per impressionem nimirum in cordibus nostris, indicetur, quod ex cap. II. ad

II. ad Rom. probatur.
XIV. Definitionis verba, ad discernendum honestum à turpi, veram legis hujus naturam delineare, in hoc datam, ut turpia fugiamus, honesta sectemur.
XV. Nec frustra addi, illud jubens, hoc vetans, cùm nuda juris hujus notitia non sufficiat, nisi præterea lex illud jubeat, hoc vetet.
XVI. Hinc tritum illud, quod quædam mala sunt quia prohibita, & quædam prohibita quia mala. Et hoc illud esse, unde dictamen naturæ, legis sibi nomen ac vim vindicare possit.
XVII. Jus hoc naturale aliis vocabulis à Juris consultis designari, & præcipuè æquitatis, vel æquitatis naturalis, nec non & humanitatis, & benignitatis.
XVIII. Quod verò Juri naturali repugnat, id etiam contra bonos mores esse Jurisconsultos pronunciare.

CAPUT II.

Juris naturalis variæ acceptiones & divisiones.

I. PRimam juris naturalis acceptionem minus propriam esse, quâ omne id, quod juri naturali non repugnat, juris esse naturalis dicitur, modo reductivo, vel, ut alii vocant, negativo.

II. Secundam esse, cum sumitur pro eo, quod quidem non est debitum jure naturali, sed ratio tamen honestum judicat, aut melius eo quod opponitur.

III. Aliquando etiam, admodum improprie, naturale quid esse pronunciari, quod plerumq; fieri solet, & jure gentium impunè fit.

IV. Rursum aliquid juris naturæ esse, dici, non quidem simpliciter, sed secundum quid, id est pro certo rerum statu.

V. Aut ex certa Hypothesi

theſi, interveniente nimirum actu aliquo humano.

VI. Inter præcipuas juris naturalis partitiones primam eſſe, quod in toto & omnibus ſuis partibus habet 1. Regulas ſeu communes notiones, à natura nobis inditas, quæ docent, exempli gratia, virtutes omnes eſſe bonas, & 2. Leges, quæ nobis præſcribunt, exempli cauſa, Bonum eſſe appetendum. Et prius quidem alii appellant directivè, poſterius coactivè diſponere.

VII. Alteram partitionem eſſe, quod jus naturale habet. 1. Quædam prima principia per ſe nota, & 2. quaſdam concluſiones minus notas, & ex primis principiis per ratiocinationem deductas.

VIII. Eſſe & aliam partitionem, qua jus naturale dividitur 1. in conceſſivum, quo homini datur facultas ad aliquid juſtè habendum vel agendum, & 2. in præceptivum, quo jubetur aliquid vel vetatur. Conceſſivum jus, nec ad primam vel tertiam, ſed ad ſecundam juris naturalis acceptionem pertinere, de qua cap. 1. §. 3.

IX. Vocem, licet, plerumque pro jure conceſſivo, ſeu facultate moralis quæ perſonæ competit, uſurpari, cùm dicimus aliquid de jure naturali licere. Eſſe & aliam hujus vocis acceptionem, cùm licere aliquid dicitur, non quod ſalvâ pietate fieri poteſt, ſed quod apud homines pœnæ non ſubjacet. Eſſe & tertiam ſignificationem, quando licere ſumitur pro eo quod non impeditur, non ſi leges permittant, ſed ſi non prohibeant, quæ ab hoc loco aliena eſt.

X. Jus naturale permiſſivum, exactè loquendo, non dari, cùm 1. omnis lex, etiam naturalis, obliget ad obſervationem ſui, & ille cui permiſſio datur, eâ, ex animi ſui ſententia, uti vel non uti poſſit. 2. cum tota permiſſionis virtus extra eum ſit, cui permiſſio datur,

tur, & circa reliquos homines tantùm operetur & eos obliget nè actui permisso impedimentum ponant. 3. Denique permissionem vel esse facti, & vocari eam cui jus naturale solummodo non refragatur; vel esse juris, & sumi pro ea quæ moralem dat facultatem: priorem acceptionem esse impropriam, posteriorem ad jus concessivum referri: & concedere plus aliquid esse quam permittere.

XI. Jus naturale præceptivum dividi in jubens & vetans; vel, ut alii loquuntur, præcepta naturæ alia esse affirmativa, alia negativa; posteriora indistinctè citra temporis, loci, &c. considerationem obligare, priora non item.

XII. Autorem non agnoscere usum distinctionis juris naturalis 1. in id quod animantibus omnibus commune est, & 2. in id quod solos tangit homines, cùm bruta rationis nec sint capacia, ac proinde nec justitiæ. Fateri tamen esse in naturali jure quædam principia, quæ homini non tantum cum animalibus, sed etiam cum aliis corporibus sunt communia: & hominem posse simpliciter ut Ens, vel ut Animal, vel ut Homo considerari.

XIII. Denique jus naturale dividi in id quod versatur circa res divinas, vel humanas.

XIV. Res humanas, circa quas jus naturæ occupatur, subdividi in publicas & privatas. Publicas hîc non intelligi eas, quæ ad particularis alicujus imperii aut civitatis; sed totius humani generis, & omnium Gentium statum spectant.

CAPUT III.

De Causis juris naturalis, ejusq; propriis.

I. CAusam juris naturalis efficientem,

esse, naturæ autorem, qui hanc legem toti humano generi præscripsit.

II. Materiam juris naturalis, esse, bona & mala, seu honesta & turpia, & illa quidem appetenda, hæc vero fugienda.

III. Non vero indifferentia, cum permissio, quæ in indifferentibus locum habet proprie loquendo, ad jus naturale non spectet.

IV. Ad jus naturale tamen pertinere Consilia, de iis quæ summopere sibi placere ostendit, quæ quidem absolute non jubent, sed quasi suadendo incitant, & voce decet exprimi solent.

V. Formam juris naturæ in eo consistere, quod omnium mortalium cordibus insitum sit, non vero his aut illis sonitu tubæ aut campanæ promulgatum.

VI. Paucas quasdam Gentes efferatas, communi naturæ juri præjudicium afferre non posse, cum ab illis rerum dijudicationem mutuare non debeamus, quibus corruptus est animus; & quid naturale sit, spectandum in his, qui bene secundum naturam se habent, non in depravatis.

VII. Causam finalem hujus juris esse, Commune 1. totius universi, 2. particularium Gentium, & 3. singulorum hominum bonum: quam ob rem etiam singulos ad commune bonum collimare debere.

VIII. Vere proprium juris naturalis esse, quod sit Immutabile, & quidem 1. à parte hominum, cum omnes homines juri naturali subsint. Additionem pro mutatione hîc non accipi, cum humana potestas multa definire soleat, quæ jus naturæ indefinita reliquit; & in hoc magnam juris civilis portionem consistere, & 2. à parte Dei, cum Deus efficere non possit, ut quod intrinseca ratione malum est, id malum non sit.

IX. Quod probatur, non modo respectu præceptorum negativorum, quæ semper & ad semper, ut

loquun-

loquuntur, obligant; ſed etiam affirmativorum, quorum obligatio tam manifeſta non eſt, quia in certis tantùm caſibus, & non pro ſemper obligant: his igitur omnibus expreſſis obligant, ſin demptis non obligant, quâ demptione non mutatur aliquid quod juris ſit naturalis, ſed declaratur tantùm id juris non eſſe naturalis, quia omnes conditiones neceſſariæ non adſunt.

X. Conſiderandum etiam eſſe, quod ſæpe res, de quibus jus naturale aliquid conſtituit, mutationem accipiant, quâ mutatione jus naturæ non mutatur, ſed materia ei juri ſubtrahitur: ità, ſi quem Deus occidi, ſi res alicujus auferri præcipiat, non licitum fiet homicidium aut furtum, ſed non erit homicidium & furtum, quod vitæ & rerum ſupremo Domino autore fit: quod ipſum & cum proportione ad magiſtratus ſummos applicatur.

XI. Naturæ legem non eſſe ejus interpretationis capacem, quæ ſecundum æquitatem dicitur, cùm ſit ipſa æquitas. Æquitatem locum habere, cùm lex humana, propter nimiam univerſalitatem verborum, in quibuſdam caſibus deficere reperitur.

XII. In hanc legem non cadere diſpenſationem, cùm ea ſit relaxatio legis in caſu particulari propter aliquas rationes, plerumque extrinſecas, ut tunc aliquis à lege ſolvatur; at in jure naturali, causâ neceſſariâ poſitâ non poſſit tolli obligatio.

CAPUT IV.

De Effectibus juris naturalis.

I. EFfectus juris naturalis eſſe fere duorum generum, Unum eſſe illuminare intellectum, alterum verò obligare conſcientias. Pri-

or effectus exemplis probatur.

II. De secundo effectu constare posse, si cogitemus nullam esse propriam legem, quæ obligationem non inducat, id est necessitatem quandam operandi vel non operandi, quæ verbis debere, oportere, aut non oportere, moraliter & in laxâ significatione sumptis, explicatur.

III. Obligationem ex jure naturali descendentem, conscientias hominum obligare, probatur ex testimonio Apost. ad Rom. c. 2. v. 12.

IV. Conscientiæ securitatem, benè observatæ legis naturalis, præmium esse amplissimum: contra verò, quantùm apportet mali temerata conscientia, id vix verbis exprimi posse. Qui hanc naturæ legem observarit, Deum habere faventem; qui aliter se gessit, infestum.

V. Legem naturæ ejus transgressoribus infligere etiam culpæ & pœnæ reatum: quod utrumq; autoritatibus probatur.

VI. Naturam tamen nullum genus pœnæ, præter cruciatus conscientiæ, aut definire aut inferre, pronuntiare quidem homines pœnæ obnoxios, sed pœnarum definitionem Deo permittere, aut etiam executionem magistratibus, ex jure Gentium vel civili faciendam, delegare.

VII. Legis naturalis obligationem se non extendere ad omne id, quod in Lege & Evangelio continetur, cum multa in eis sint præcepta, quæ de jure naturali non obligent, & majorem perfectionem exigant quam Lex naturalis, quod exemplis clarum fit.

VIII. Alium insuper juris naturalis effectum esse, quod, quemadmodum in legibus civilibus fit, actus aliquos irritos reddat. Explicatur quid sit actum irritum reddere; Et leges quasdam civiles esse imperfectas, alias longè majoris efficaciæ. Hunc effectum locum tantum

tantùm habere in duobus casibus, 1. cùm actus aliquis prohibetur ob defectum potestatis, & 2. cùm ob materiæ incapacitatem: prioris exemplum esse, in contractu, dolo malo inito; & secundi, in eo qui actum gerit prohibitum propter turpitudinem in materia inventam, & in ipso effectu durantem, veluti si sororem nupturam sibi aliquis stipuletur.

IX. Ad effectus juris naturalis etiam pertinere, apprehensionem ejus quod nobis sine causâ ablatum est; & retentionem ejus, quod nos dare debemus, donec de pretio convento satisfiat; ejus verò quod nobis debetur, si ad manus nostras pervenerit, nósque, à nostra parte, pacto satis fecerimus: quod utrumq; probatur.

X. Obligationis naturalis, & debiti naturalis, indè provenientis, voces, in stricto significatu, & ad justitiam expletricem pertinente, apud Jurisconsultos accipi. Ejusmodi debito jus civile aliquando autoritatem suam accommodare, & tunc id vocari naturale & civile; aliquando auxilium suum ei substrahere, & tunc id debitum manere in puris naturalibus; nec ideo tamen omni effectu carere, quin imo etsi obligationem efficacem non pariat, parere tamen exceptionem & alios effectus, qui enumerantur.

CAPUT V.

De Jure naturali circa Divina.

I. TRansitio à parte generali ad particularem.

II. Probatur Deum esse 1. quod res aliquas esse factas ostendat sensus, res autem factæ nos ad aliquid non factum perducant. 2. quod omnibus, de Deo opinio insita sit, nec ulla Gens usquam sit, adeò extra leges moresque projecta, ut

ut non aliquos Deos credat.

III. Deum unum esse probatur, 1. quia est ens necessarium, nullam autem necessitatem concipi posse, nisi sub ratione unius; 2. Unitatem ubi excesseris repugnantiam inter diversos evitari non posse.

IV. Deum esse invisibilem, utpote ens simplicissimum, & sublimius omnibus quæ videri possunt, unde & eum templo aliquo comprehendi posse, neget Euripides.

V. Deum res omnes humanas, & quidem summâ cum justitiâ, procurare, & impios esse, qui hanc curam Deo adimunt.

VI. Deum esse omnium extra se opificem; cum enim sit prima causa & causa causarum, consequens est, ut pulcherrimum totius mundi opificium, Deo acceptum feramus.

VII. Ex quatuor prioribus Dei attributis, quatuor priora Decalogi præcepta, fundamenta suâ sumere, ostenditur.

VIII. Esse & alia Dei attributa, non minus ei propria, quæ non difficulter ad quatuor priora reduci possunt. Esse enim vitæ infinitæ, Pollentiæ immensæ, Scientiæ indeterminatæ, & Bonitatis incomparabilis.

IX. Singula hæc, uti & priora, Ethnicis ex lumine naturæ innotuisse demonstratur, æternitatem nimirum, omnipotentiam, scientiam, sapientiam, & bonitatem Dei.

X. Ex prioribus omnibus duo esse consectanea, quæ ad materiam legum propius accedunt, quorum 1. est, Deum esse supremum Legislatorem, quod ipse ut autor legis Naturalis abundè præstitit: Judæos tamen eo specialim nomine Deum Legislatorem vocare, quod legem Noacho & ejus posteris, septem præceptis comprehensam, tradiderit.

XI. 2. Consectaneum est, quod Deus, utpote creator,

ator, in omnes homines, non tantùm ſummam habeat poteſtatem, ſed etiam ſupremum in res, à ſe creatas, Dominium.

XII. Autorem hæc de Deo ex naturalibus principiis, ſufficere, arbitrari, cum nec ipſius tenuitas, nec Dei magnitudo, plura patiatur.

XIII. XIV. XV. XVI. Ex naturalibus hiſce de Deo notionibus, derivari hæc præcepta ſive leges, Deum eſſe 1. Honorandum, 2. Amandum, 3. Colendum, 4. ei Obtemperandum.

XVII. Priora duo præcepta, ex ſeptem Noachodatis, de Idololatria nimirum, & de Maledictione numinis fundamentis etiam, ex jure naturali petitis, inniti.

XVIII. Neminem mirari debere, ſi Autor, Unitate Dei, argumentis a natura petitis, adſtructâ, ſubinde autores citet qui Deorum meminerint, ſi quidem exemplo Apoſtoli Act. 17. quæ de falſis, divinitati convenientia, dicuntur, ad verum Deum applicare potuerit. Deinde diſtinguendum eſſe inter populares Deos, qui plures apud Ethnicos credebantur, & naturalem, qui unus. Poëtas ſæpiſſimè populariter fuiſſe locutos, ſubinde tamen Unum Deum fuiſſe confeſſos: neque putandum hunc populârem errorem, magis veritati præjudicium facere poſſe, quàm populi Judaici ad alienos Deos defectio.

CAPUT VI.

De jure naturali circa Publica.

I. REgulæ univerſalis, quod in omni cœtu, & præcipuè perfecto, regere & regi neceſſarium ſit, veritas rationibus probatur.

II. Eadémque autoritatibus divinis & humanis evincitur.

III. Nullum populum eſſe qui

qui non aliquod agnoscat regimen, habeatque superiores, quocunque ii nomine vocentur, quorum est in medium consulere; & subditos, quibus obsequii gloria relicta est. Hisce observatis florere, conturbatis verò totam perire Rempublicam.

IV. Sed formam regiminis aliquam à natura proprie non præscribi. Cum verò cunctas nationes & urbes, Populus, aut Primores, aut Singuli regant; posse populum, si modò liber est, talem sibi sumere Reipublicæ formam, qualem voluerit.

V. Liberum populum esse, qui nullius alterius populi potestati est subjectus: & Libertatem esse naturalem facultatem ejus, quod cuique facere libet, nisi à superiore prohibeatur.

VI. In Democratico regimine, penes omnes Cives esse jus & potestatem, se suáque regendi. Cives esse omnes Patres-familias, aliósque qui sui juris, & capaces per ætatem sint, de rebus etiam arduis, judicium suum interponendi, servos verò, & amentes, omnésq; fere impuberes, suffragii ferendi jus non habere, fœminas autem, firmæ jam ætatis, & patriæ potestati exemptas, naturalem rationem à jure suffragii non excludere. Quomodo in hoc regimine subditi à superioribus distinguantur.

VII. Discrimen hoc manifestius in Aristocratiâ, manifestissimum verò esse in Monarchiâ, cum Populus uni aut pluribus omne imperium & potestatem suam in se concesserit: Et quanquam talis Electionis, à populo factæ, non extent tabulæ, id tamen pacto tacito inter populum & rectorem sive rectores actum videri.

VIII. Hanc supremam potestatem, Majestatem appellari, & non malè definiri, Plenum jus imperandi familiarum cœtui, ad vitam civilem sufficienti, ejusque partibus, soli Deo obnoxium. Potestatem

testatem tamen aliquando absolutè, aliquando sub certis legibus conferri.

IX. Formâ regiminis semel electâ & delatâ, Majestatem populo jam variare amplius non concedi, nec ei licere imperanti ullo modo resistere, quamvis dura imperet.

X. Illud in iis regiminis speciebus, quæ per cœtus exercentur, generale esse, Parendum his quæ major pars censuerit.

XI. Et hoc universale esse in omni regimine, ut liceat iis, apud quos est summa potestas, aliquas partes imperii aliis demandare; Et populum similem delegatis obedientiam debere, quam delegantibus præstare tenetur, idque vi mandati à delegantibus ipsis concessi.

XII. Soli Deo absolutam deberi obedientiam, humanis verò, & si in genere suo summis, potestatibus, eâ tantùm conditione, ut id legi naturæ, aut aliis Dei præceptis, non adversetur. Idem cum proportione obtinere in his quæ ab inferioribus magistratibus injunguntur.

XIII. Jus naturale concedere Reipublicæ, vel ei qui supremam in eâ tenet potestatem, sicut in vitam, ita in res omnes subditorum, supereminens habere Dominium, ut de iis, ad publicam utilitatem, disponere possit.

XIV. Autorem, nobilissimas aliquot de jure publico controversias, consultò præterire, propositi memorem, se de principiis juris naturalis Enchiridon scribere.

CAPUT VII.

De jure naturali concessivo.

I. JUs naturale esse vel concessivum, vel præceptivum. Concessivum inter alia pro objecto ipsum hominis corpus habere, & alia quædam ejus

jus accidentia aut intrinseca, vitam nimirum, libertatem & existimationem, aut extrinseca, quæ videlicet ad sustentandum corpus pertinent, ut victus, amictus & domicilium.

II. Non habere hominem absolutum dominium, sed facultatem tamen dominio proximam, in corpus suum. Abscindi posse membrum aliquod, totius corporis conservandi gratiâ, id tamen leges civiles non permittere, nisi cum consensu superiorum.

III. Constantem esse omnium sententiam, vitam omnibus modis defendi posse, etiam cum jacturâ vitæ alienæ. Vim enim vi defendere omnia jura permittere, si tuendi duntaxat, non etiam ulciscendi causâ, factum sit.

IV. Difficilius esse statuere, quid in vitam liceat, propter magnorum apud Ethnicos virorum autoritatem, qui homines & retinendæ & amittendæ vitæ suæ, dominos esse voluerunt: Christianos melius edoctos, gravissimis de causis, ipsis accedere non posse, quod qui violentas sibi manus infert 1. in Dei jus involare sit dicendus, qui homini vitam concessit. 2. in rempublicam injurius sit, cujus est membrum, 3. & tanto plus peccet, quam qui alium occidit, quod alium occidens corpori tantum eius noceat, qui se ipsum necat, & corpus & animam nefandè perdat.

V. Plus juris liberos homines in libertatem, in quâ nati sunt, quam in vitam habere, indè apparere, quod se ipsos in servitutem vendere possint, & libertatem alienare; Libertatem igitur inæstimabilem non esse, & infinitam ejus æstimationem, non absolutè, sed cum grano salis intelligendam esse. Pro libertate conservandâ, idem fere homines posse quod pro vitâ.

VI. Existimationis eandem fere esse rationem, cum crude-

crudelis esse dicatur qui famam negligat; nobis enim necessaria est vita, aliis fama nostra.

VII. Illud vitæ, libertati, & existimationi commune esse, ut, in delicti pœnam, amitti plane possint.

VIII. Quæ ad sustentationem hominis faciunt, ea in victu, amictu, & domicilio præcipuè consistere; quæ omnia, ante bonorum divisionem, primi fuere occupantis, & occupata, sine injuriâ à possessore auferri non potuerunt.

IX. Divisione soli factâ, magnam accidisse mutationem in iis, quæ ad sustentationem vitæ præcipuè pertinent, & unumquemque sibi consulere debuisse unde viveret, ex iis quæ sibi ex divisione obtigerant.

X. Cumque hæc vix sufficerent, ab aliis subsidia sibi petere coactos fuisse mortales; Et permutationem primò se obtulisse, cum scilicet quidam habebant aliqua, sibi minus utilia, aliis verò necessaria.

XI. Sed cùm æqualitas pretii vix tum posset inveniri, tandem eò deventum esse, ut nummi usus introduceretur, unde emptionis & venditionis origo.

CAPUT VIII.

De generalibus aliquot juris naturalis præceptis.

I. BOnum sequendum, malum fugiendum esse.

II. Omnes virtutum actus, suo tempore & loco esse exercendos: & cum qui se ità gerit, esse & dici virum bonum.

III. 1. Hominem in id natum esse, bene ut aliis faciat. 2. Huc spectare inprimis beneficia quæ humanitati debentur, & sine vituperio nemini negari possint, ut, exempli gratiâ, erranti monstrare viam. 3. Et quæcunq; accipienti sunt utilia, & danti non molesta.

lesta. 4. Modum & mensuram horum beneficiorum hanc esse, quod tibi fieri volueris, id alteri faciendum. 5. Quod & aliis verbis in lege Mosis, & in Evangelio sic proponitur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. 6. Et proximi nomine eos omnes intelligi, qui aut ope, aut operâ nostrâ indigent, non desse tamen inter eos gradus, quos in omni officiorum genere observare, prudentiæ est.

IV. Æqualitatem in omnibus servandam, & ad æqualitatem omnia esse redigenda. Huc pertinere leges de hæreditatibus æquâ lance dividendis; & de æqualitate in contractibus servandâ, ità ut ex inæqualitate jus oriatur minus habenti.

V. Ex æqualitatis fonte promanare, Locupletari neminem debere cum alterius injuriâ, & ex tali inæqualitate nasci actionem Conditionis indebiti.

VI. Ex eodem fonte ortum habere, lucri & damni eandem debere esse naturam, hoc est, æquum esse, ut cujus quis participavit lucrum, participet & damnum, & vice versâ, qui sentit onus, sentiat & commodum.

VII. Huic fundamento inniti, non debere alteri per alterum iniquam conditionem inferri; licere meliorem, deteriorem verò nunquam conditionem alterius facere.

CAPUT IX.

De præcepto honestè vivendi quod ad se ipsum.

I. PRæcepta juris hæc esse, honestè vivendum, alterum non lædendum, suum cuique esse tribuendum. 1. Virtutes, & actiones virtutibus congruentes, & quicquid suâpte naturâ per se est expetendum, honesti verbum complecti.

ctl. 2. Æquitatis & honesti rationem in contractibus & conjunctionibus, maximè esse habendam. 3. Cavendum itaque esse nobis ab omni probro & turpitudine, hoc est, ab omnibus iis, quæ contra bonos mores fieri dicuntur. 4. Quæ etiam, de jure, irrita habentur, quia quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse, credendum sit.

II. Hominem ad honestè vivendum, sibi ipsi aliquid debere, & aliquid aliis hominibus, qui aut generaliter considerantur, aut cum certâ aliquâ relatione. Hominem sibi debere, ut secundum virtutem vivat, ratione animæ & corporis.

III. Hominem, ut animam intus benè constitutam habeat, ejus tranquillitatem; ut extrinsecus actiones benè dirigat, prudentiam parare sibi debere. 1. Tranquillitatem animæ consistere in compescendis affectibus & animi perturbationibus. 2. Prudentiam ad res gerendas maximum afferre momentum, & optimè periculo alieno addisci.

IV. Corpus quod attinet, in eo curando non debere nos esse nimios, naturámque 1. Sobrietatem commendare, & fugam gulæ & crapulæ. 2. A voluptatibus multa nos etiam deterrere, ut quod nullæ sint sinceræ, quod fluxæ, quod dolore emantur, quodque regium sit eas vincere.

V. Esse voluptatem quandam omnino licitam, consistentem in consociatione quæ inter virum & fœminam est, quam Matrimonium vocamus, & vel maximè ad vitæ honestatem pertinentem. Naturam, ad ejusmodi cohabitationem, non modo jus dare, sed & acribus stimulis impellere, ut pote, sine quâ propagatio generis humani non bene procedit; Venerem enim vagam non esse ordinatam ad susceptionem prolis.

VI. Juris præceptivi non esse, ut viri unâ tantùm uxore debeat esse contentus, sed Sanctissimis Christi legibus maximè convenire. Deum polygamiam ante legem & sub lege concessisse, unius tamen uxoris conjunctionem facto magis probasse, cùm Adæ unam tantum uxorem attribuit. Reperiri tamen & apud Ethnicos scriptores loca, quæ monogamiæ favent.

VII. Repudium lege Mosis permissum fuisse, nec juri naturali contrarium esse, si supponatur, conjuges ultro citroque fidem non interposuisse, de conservanda, ad mortem usque societate conjugali: cum nihil tam naturale sit, quam eo genere quidque dissolvi, quo colligatum est.

CAPUT X.

De Officiis erga alios, relatè consideratos.

I. ESse varias relationis species inter homines. Quæ homines, harum relationum respectu, ad honestè vivendum, alii aliis debent, Officia vocari. Primam relationem, cujus respectu Officia inter homines variant, esse Matrimonium. Mutua inter virum & uxorem Officia, in eo præcipuè consistere, ut 1. Marito jus & imperium sit in uxorem. 2. Uxor obedientiam & auxilium marito debeat. 3. Alter verò alterum mutuo amore prosequi teneantur.

II. Mariti jus sive imperium in uxorem non esse herile, aut herili simile, sed ut capitis in reliqua membra, & magis suadendo quam jubendo, exerceri solere: cavere igitur debere maritos, ne duriores sint in uxores.

III. Uxores maritis suis obedientiam & auxilium debere, quoniam vir est caput mulieris, & prima fœmina in adjutorium viri creata sit.

IV. Amorem inter maritum & uxorem mutuum esse

esse debere, quod duo sint in carne unâ.

V. Secundam relationis speciem esse inter Parentes & Liberos. Parentes habere jus imperii & coercitionis in liberos; sed hoc imperium eos cum moderatione exercere debere. Cùm sint liberi imperfecti judicii, omnes eorum actiones patentum imperio subesse; cùm maturuit judicium, eas solas parentibus subesse, quæ ad familiæ statum momentum aliquod afferunt. Filio emancipato, manere semper pietatis & reverentiæ debitum.

VI. Patri naturaliter, filios oppignorandi aut etiam vendendi, jus esse, si nempe in talem inciderit indigentiam, ut neque se neque liberos alere amplius possit; satius enim est ingenuitatem perire quam vitam.

VII. Naturam, coercitionem parentibus in liberos, tribuere, non autem jus vitæ & necis, præsertim post constituta judicia.

VIII. Durum esse statuere, Patris consensum ad filii nuptias ita esse necessarium, ut propter ejus defectum, omnino irritum fiat matrimonium, etsi omnino contra officium suum filium facere dicendum sit, qui in tam arduâ re patris consensum non impetraverit.

IX. Liberorum officium in obedientiâ, honore, & timore sive reverentiâ consistere. Dei præceptum de obedientiâ parentibus debitâ, & insigne Rechabitarum exemplum à Deo remuneratum.

X. Qui in re honor & timor liberorum erga parentes, juxta Hebræorum disciplinam, consistat: in eo præcipue consistere, ut liberi eis cibum, potum, & vestitum subministrent. Hoc Ethnicis ignotum non fuisse, nec promissionem huic præcepto adhærentem ignorâsse.

XI. Tertiam relationis speciem, priori similem, esse inter Tutorem & Pupillum. Tutelam in conser-

vationem pupillorum esse inventam; quæ est, vis ac potestas in capite libero, ad tuendum eum, qui per ætatem se defendere nequit.

XII. Tutorum officium consistere in defendendâ pupilli personâ, morum ejus curâ, & bonorum administratione; in quibus singulis sedulitas, diligentia, & bona fides elucere debent.

XIII. Pupillorum officium idem fere esse ac liberorum, sed in gradu aliquantum minore.

XIV. Quartam relationis speciem intercedere inter Dominum & Servum; & servos fieri per captivitatem, aut nasci ex ancillis: quodque omne id, quod servus acquirit, Domino acquirit.

XV. Dominorum officium in servos, vix posse aliquibus cancellis circumscribi. Apostolum asperitatem & duritiem omnem Dominorum prohibere.

XVI. Servos subditos esse debere in omnibus Dominis suis, non æquis modo & bonis, sed etiam durioribus.

CAPUT XI.

De Homicidio, & corporis læsione.

I. SEcundum juris naturalis præceptum esse, ne alterum lædamus. Læsionem aut in factis, aut in verbis consistere. Facta versari vel circa vitam, vel circa corporis partem, aut circa totum familiæ statum, aut circa alterius bona.

II. Ab his abstinendum esse, naturam docere, cum humanæ societati ea omnia, & charitati adversentur.

III. Facta quæ circa alterius vitam versantur, homicidia vocari. Hujus delicti injustitiam vel indè elucescere, quod Deus principe creaturâ, respublica cive, familia capite vel membro privetur, quodque occidens sumat

sumat jus quod non habet, & summum Dei beneficium occisio eripiat.

IV. Præcepto de homicidio, hominis cædem prohiberi, & quidem ejusmodi cædem, quam vitæ privatio, seu mors, consequatur, & exprimi in decalogo duabus vocibus, non occides, quæ totam naturæ legem circa hoc negotium non complectuntur: sumendum itaque esse hoc præceptum cum omnibus suis ampliationibus & limitationibus, ut naturæ vox audiatur, quæ scripto nunquam fuit comprehensa.

V. Quod ampliationes attinet, præceptum hoc continere non modo homicidium deliberatum 1. ex proposito. 2. ex insidiis. 3. proditorie, & 4. per assasinium; verum etiam simplex, cùm homo homini per iracundiam, aut aliam mentis perturbationem, vitam eripit.

VI. De conatu proximo ad inferendam cædem, quatenus peccatum involvat, ita statuendum esse: Vel effectum aliquem indè fuisse secutum, & lædentem non in verum homicidii crimen incidisse, peccasse tamen in eam speciem læsionis, quæ ex eo actu sequuta est; vel nullam læsionem indè processisse, & in judicio civili pœnam forte evasurum, in foro autem Dei & conscientiæ reum nihilominus esse, non perpetrati, sed attentati criminis.

VII. Hominis appellatione, infantes & fœtus in utero formatos, venire; & de homicidio teneri, qui infantem occiderit, aut abortum mulieris procuraverit. Abortivum poculum, periclitanti puerperæ, apud moratiores gentes, non dari, nisi autoritate publicâ impetratâ.

VIII. De expositis recens natis infantibus, dicendum esse, expositionis autorem, homicidii reum esse, si expositus obierit; sin verò mors non sit se-

quuta, hoc ad aliud peccati genus pertinere.

IX. Idem censendum esse in eo casu, quo aliquis hominem occidi alteri mandavit, cùm ad id mandatum mors sequuta est, mandantem nimirum & mandatarium pariter deliquisse.

X. Sub præcepto de non occidendo, & illos comprehendi; qui sibi ipsis manus violentas inferunt.

XI. Quod ad Exceptiones attinet, eas fere quatuor esse, homicidii nimirum teneri qui alteri vitam eripit. 1. Nisi homicidium fiat omnino casualiter, sive involuntarie, quandoquidem peccatum non sit, nisi quatenus voluntarium, & casus sit causa præter intentionem agentis. Duo concurrere debere ut quid propriè dicatur casuale, primò ut quis operam det licitæ, secundò ut eam, quam debet, adhibeat diligentiam.

XII. 2. Nisi quis à Deo ad id expressum habuerit mandatum; cùm enim Deus, autor vitæ, summum in homines vitæ necisque habeat imperium, potest mandare certis hominibus, ut aliquem è medio tollant, cujus mandati exemplum est in Abrahamo & Levitis.

XIII. 3. Nisi quis à supremo Magistratu aliquem vel aliquos occidendi autoritatem acceperit; cùm suprema Potestas non sine causâ gladium portet, & eo licitè uti possit in pœnam, vel per modum belli, vel per modum medicinæ: quibus consequens est, eos qui talibus ministeriis inserviunt, nequaquam in jus naturæ peccare.

XIV. 4. Nisi quis vitam suam defendens, cum moderamine inculpatæ tutelæ, aggressorem occiderit: quod vitæ defensio naturaliter unicuique concessa est. Moderamen hoc consistere 1. in causâ, ut insultantis offensio sit injusta, 2. in modo, ut propulsatio proportionem habeat ad offensionem. 3. & in tempore, ut defensio fiat in con-

continenti, sive in ipsa concertatione.

XV. De corporis humani læsione idem censendum esse, quod de homicidio, quod iidem, quibus homicidium, fundamentis innititur.

CAPUT XII.

De Adulterio, Incestu, & Scortatione.

I. DE turpitudine ex concubitu. Ejus speciem primariam esse Adulterium, quo, in omnibus peccatis, nihil gravius; adulterum verò & adulteram dici, quod ille ad alteram, & hæc ad alterum se conferant.

II. Adulterium, aut simplex esse, aut duplex. Et simplex quidem, aut ex parte agentis, aut ex parte patientis tantum, turpitudinem suam trahere. Hujus flagitii enormitas susè declaratur, & ex pluribus peccatis conflatum esse ostenditur. In duplici adulterio hæc omnia peccata ac mala duplicari, cùm ex utraque parte æqualis intercedat vitiositas.

III. Falli eos, qui adulterium in solas fœminas maritatas cadere putant, cùm nec viro liceat, quod mulieri non licet.

IV. Adeò detestabile esse peccatum, ut non actus tantùm, sed etiam conatus, legibus humanis quandoque punitus fuerit: nec dubium esse, in legem naturæ peccasse qui animum adulterandi habuit, ad quem Christus præcepta sua etiam extendit.

V. In sponsam alienam adulterium committi ipsosse, modo ille, qui talem corrumpit, desponsatam esse certò sciat.

VI. Adulterium contra naturam esse, etsi multæ gentes, alioquin satis benè moratæ, id permiserint, 1. quia ejusmodi permissio, facti tantum, non juris, fuit. 2. quod ubi promiscuæ sunt uxores, nec sit proprium matrimo-

trimonium, & per consequens nec verum adulterium, 3. quodque jus naturæ sartum tectum maneat, ejusque nexus etiam, invitis iis gentibus, duret.

VII. Adulterium nullo pacto honestari posse, atq; adeo nullam ex allatis, præcedenti capite de homicidio, quasi-exceptionibus à delicto, hic locum habere: Neque enim Deum adulterium, utpote rem omnino probrosam, imperare posse; nec magistratum id juris habere; nec vitæ conservationem id excusare posse.

VIII. Incestum etiam quam maximè juri naturali adversari. Esse incestum naturæ lege, esse & alium jure civili tantum prohibitum. Priorem speciem committi, 1. cùm quis ex gradu ascendentium vel descendentium uxorem duxerit, inter ascendentes & descendentes etiam eos easque comprehendi, qui quæve ulli eorum matrimonio juncti fuerunt. 2. Cùm illiciti fiunt concubitus inter fratres & sorores consanguineos aut uterinos. Civilem incestum Autorem non tangere, ut pote ab instituto suo alienum.

IX. Hæc duo incestus genera cum jure naturæ pugnare statuitur, eorúmque fœditas detegitur. Hoc jus ad serviles nuptias etiam se porrigere; quoniam in contrahendis nuptiis, naturale jus & pudor iuspiciendus est.

X. Has duas incestus species, non tantùm eos qui eas patrant peccati reos, sed eorum matrimonium etiam irritum reddere.

XI. Legem de incestu inter eas esse, quæ non semper sed pro certo statu obligant; ideóque primos mortales, incestus non teneri, cùm alii tunc non essent homines ad propagandum humanum genus, præter fratres & sorores.

XII. Rationem reddit Autor, cur alias incestus species à prohibitione naturali segregęt, cùm Deus

us ob eas pollutas fuisse gentes, Levit. XVIII. innuere velle videatur.

XIII. Prodigiosam Venerem aperte legibus naturæ repugnare, ubi amor quæritur, nec videtur.

XIV. Scortationem, sive vagam Venerem, contra naturalis legis prohibitionem etiam esse, cùm castitati, morúmque pudori, & verecundiæ, naturæ item, ejusque autori Deo, quam maximè repugnet.

XV. Hanc naturæ legem apud multas gentes, etiam apud Romanos, penitus fuisse obliteratam; sed ab unius atque alterius gentis deviatione à lege, non posse concludi, eam non obligasse, cùm honesti ratio in contrarium militet: ejus obligationem apud Judæos fuisse agnitam, & ab Apostolo nobis inculcatam.

XVI. Autorem plura de concubitu illicito, ut puta de raptu virginum, &c. studio præterire, quod eorum peccatorum natura, ex dictis facilè cognosci possit, & omnia apud Jurisconsultos, suis locis reperiantur.

CAPUT XIII.

De Furto, & Damno injuriâ dato.

I. FUrtum lege naturali prohibitum esse, & definiri, Contrectationem fraudulentam, lucri faciendi gratiâ, vel ipsius rei alienæ, vel etiam usus ejus, possessionisve; à Græco derivari qui φῶρες appellat fures, à ferendo, id est auferendo, sic dictos.

II. Naturam docere, semper & ubique alienis esse abstinendum: nullibi clarius quàm in furto elucescere hoc naturale juris principium, quod tibi fieri non vis, alteri nè feceris.

III. Bonorum communionem, ab ipsâ naturâ institutam, non prohibere, quin furtum contra legem

gem naturæ committi dicatur, cùm hoc præceptum ſit ex genere eorum, quæ non immediatè à naturâ emanant, ſed ex iis, quæ in aliquâ hypotheſi facti humani fundantur; hoc eſt, poſitâ bonorum diviſione, ſtatim meum & tuum introduci, & furtum naturâ prohibitum cenſeri debere: nec conſtare, durante bonorum communione, nullum furtum locum habere potuiſſe, cùm quiſque, jure retentionis, fructus in ſuos uſus lectos aut decerptos ſervare ſibi potuerit.

IV. Quod ad furti ſpecies attinet. Furtum aliud eſſe ſimplex, aliud cum violentiâ conjunctum. Simplex, quod clanculum, & ſine armis fit, ſub ſe 1. Sacrilegium. 2. Peculatum. 3. Plagium, & 4. Abligeationem continere, quæ ſingula definiuntur. Ad violentum furtum ſpectare Rapinam, quæ & ipſa ſub ſe comprehendit, 1. Effractores, 2. Latrones, 3. Prædones, 4. Piratas, & 5. Expilatores, qui deſcribuntur, quique furum nomine omnes veniunt.

V. Furtum in rebus immobilibus fieri etiam poſſe.

VI. Inter virum & uxorem furtum etiam committi poſſe, quamvis in honorem matrimonii, turpis actio adverſus uxorem, jure civili negetur.

VII. Rei etiam minimæ furtum fieri poſſe.

VIII. Quod ad quaſi exceptiones, quæ hic ſibi locum vendicant, Primam eſſe, omnem ejuſmodi contrectationem vel ablationem rei alienæ furtum eſſe, niſi quis à Deo ad id expreſſum habuerit mandatum, ut Iſraëlitæ, qui Ægyptios bonis ſuis exuiſſe leguntur; quo in caſu, ablatio rei alienæ non eſt amplius furtum, ac proinde nec peccatum.

IX. Secundam eſſe, Niſi Magiſtratus alicui mandaverit, ut cuipiam ſua bona adimat, quod quidem

dem non poteſt ſimpliciter, ſed ex causâ rationabili, belli nimirum aut pœnæ. Lacedæmonios legibus ſuis furta non permiſiſſe, ſed criminis impunitatem indulſiſſe; niſi putemus ad acuendum juvenum agilitatem, & compeſcendum quorundam negligentiam, lege ſanxiſſe, contrectationes rei alienæ cum arte, pro furtis non habendas.

X. Tertiam exceptionem eſſe, Niſi quis ſummâ neceſſitate adactus res alterius ſibi applicaverit, exempli gratia, ſi fame inevitabili preſſus, alterius cibariis vitam ſuſtentaverit. Et talem non tantùm à legis humanæ obligatione, quoad pœnam, ſed etiam à legis naturalis nexu, quoad reatum, immunem eſſe. Neceſſitas enim magnum humanæ imbecillitatis patrocinium, omnem legem frangit, & quidquid coëgit, defendit. Et credendum eſſe, primam rerum diviſionem ità factam fuiſſe, ut ei benigna quædam receptio primitivi juris, in caſu neceſſitatis, inſit.

XI. Damnum per injuriam datum, eſſe ſarciendum, naturalem æquitatem, è duobus principiis pendentem, docere. 1. Hominem non debere alteri nocere, & 2. Æqualitatem ubiq; eſſe ſervandam.

XII. Omne damnum aut dolo, aut culpâ dari. Damnum dolo datum ad maleficia pertinere, quæ dolum includunt. Res clara ſit in homicida injuſto, in adultero & adultera, & in fure qui tenetur, rem ſubtractam reddere cum ſuo incremento naturali, & cum ſequente damno, aut ceſſante lucro.

XIII. Idem in damno culpâ dato obſervandum. Damnum accipi culpâ datum, etiam ab eo qui nocere noluit, ſi id fecerit quod facere jus non habet. Imperitiam hic excuſationem non mereri, cum affectare nemo debeat, in quo vel intelligit, vel intelligere debet,

debet, infirmitatem ſuam alii periculoſam futuram; nec ignorantiam, ſi ſcire potuit, ex facto ſuo injuriam veroſimiliter vel jacturam poſſe contingere. Et reparationem damni, in hac ſpecie, ſe extendere etiam ad id quod intereſt, niſi id incertiſſimum ſit.

XIV. Hanc naturæ legem tam æquam eſſe, ut extenſiones etiam aliquas admittat, cùm quis non tantùm damni teneatur, quod ipſe, per ſe, fecerit, ſed etiam 1. quod mandaverit, 2. vel cujus dandi cauſam, 3. vel occaſionem tantùm præbuerit. 4. quin & illum teneri, qui ſervum ægrotum leviter percuſſerit, & is obierit, quia aliud alii mortiferum eſſe ſolet.

XV. Eſſe tamen etiam aliquot hîc exceptiones, 1. quando aliquis jure ſuo eſt uſus, nam quod legitimè factum eſt nullam pœnam meretur, 2. quando caſu quid accidit, ſi modo culpa ejus nulla inveniatur. Carere autem culpâ, qui omnia, quæ oportet, obſervavit. 3. Culpâ etiam carere qui ſcit, ſed prohibere non poteſt. 4. Et ſi is qui damnum patitur, id ſuâ culpâ ſentiat; quia damnum quod quis ſuâ culpâ ſentit, ſibi & non aliis imputare debet.

CAPUT XIV.

De Falſo, Mendaciis, & Injuriis.

I. ALterius læſionem vel in factis, vel in verbis conſiſtere, dari etiam crimen quod utramque ſpeciem comprehendat, Falſum nimirum, quod definitur, Doloſa veritatis immutatio, in alterius damnum facta.

II. Hujus delicti turpitudinem, omnium ſe oculis ſtatim ingerere, quod veritatem immutet, à virtute alieniſſimum ſit, & ſocietati humanæ maximè adverſetur.

III. Falſitatem quatuor præcipuè modis committi.

mirti. 1. Quando perſona aliqua, alia quam revera eſt, eſſe fingitur, ut cùm partus alienus ſupponitur, cum in contractu, judicio, teſtamento, &c. alia perſona ſubditur, cum quis ſuum nomen mutat. 2. Cùm quis in alterius præjudicium verbis utitur doloſis, cujus perniciosiſſima ſpecies falſum teſtimonium, ſub qua comprehenditur, qui veritatem in judicio malitioſè tacet, & judex qui ex malitiâ, vel muneribus corruptus, injuſtam fert ſententiam. 3. Cum quis falſa ſcripta componit, inſtrumenta, rationes, &c. in fraudem alicujus mutat, corrumpit, adjiciendo, &c. falſa ſigilla appendendo, aut chirographa falſa conficiendo. 4. Quando quis doloſè re aliquâ ad decipiendum alterum abutitur, ut qui falſis menſuris, vel doloſis bilancibus utitur, qui merces adulterinas, corruptáſve obtrudit; qui monetâ radendo, tigendo, vitiando adulterat.

IV. In his omnibus caſibus de damno dato conſtare debere, alias crimen propriè non incurri; falſum committentem, non in legis naturalis reatum tantùm, & in pœnas civili jure ſtatutas cadere; ſed præterea etiam ad reparationem damni teneri.

V. De conatu dicendum, falſum committentem vel aliquam attuliſſe læſionem, & eatenus teneri quatenus læſit, vel nullam, & hac lege non teneri, ſed ex capite doli admiſſi, propter malum animi propoſitum, in conſcientia obligari.

VI. Fieri vix poſſe ut in falſo exceptio admittatur, cùm ſemper adſit dolus, qui nunquam excuſari poteſt. Simplicem errorem à legis hujus obligatione immunem eſſe, & in jure civili, falſum committere non dici, qui alias in computatione vel ratione mentiuntur.

VII. Mendacium in ſolis verbis propriè conſiſtere, & definiri, Falſa ſignificatio

catio vocis cum intentione fallendi.

VIII. Mendacii turpitudinem vel hinc eluceſcere, quod qui aliud dicit quam cogitat, humanam ſocietatem lædat, & longiſſimè à Deo abeat, qui perdit omnes qui loquuntur mendacium; hoc Gentiles non ignoraſſe, qui mendacium per ſe turpe & vituperabile, veritatem pulchram & laudabilem, mendaces verò odio dignos eſſe pronunciárunt. Peſſimum eſſe mendacium decipiendi, aut nocendi causâ prolatum.

IX. Autorem, quæſtionem de mendacio non nocivo, aut etiam officioſo, aliáſque ad eandem materiam pertinentes, ad eos, brevitatis causâ remittere, qui de iis ex profeſſo ſcripſerunt.

X. Minimè huc pertinere qui rem falſam dicunt, quam veram putant, utnec eos qui confictis parabolis utuntur, aut hyperbolicè, ironicè aut jocoſe loquuntur, aut verbis ambiguis ludunt; nec agi hic de ſermone promittente, ſed de aſſerente cujus alia eſt ratio.

XI. Injuriam ex eo dictam eſſe, quod non jure fiat, ſpecialiter injuriam dici contumeliam, quam quidam à contumeſcendo, alii & melius, à contemnendo, derivant. Contumeliam propriè ad dignitatem, alias verò injurias ad famam pertinere. Illam graviorem videri, revera tamen his leviorem eſſe, quâ nimirum delicati non lædantur, ſed offenduntur.

XII. Omnem injuriam 1. aut re, 2. aut verbis, 3. aut ſcripto fieri. De priore Autorem non agere, cùm non multum a læſione, de quâ jam actum, differat; neque de poſteriore, cùm vix hîc quippiam ſingulare occurrat, & ſufficiat quod toto titulo Codicis, de famoſis libellis ſtatuitur. Injuriam autem quæ verbis fit, à ſcholaſticis in quinque ſpecies dividi. 1. Contumeliam, 2. Detractionem, 3. Suſurrum, 4. Irriſionem, & 5. Maledi-

ledictionem, quæ ſingulæ explicantur; ſed ad duas priores ſpecies, ut præcipuas, reliquas facilè referri poſſe.

XIII. In omni injuriâ hoc generale eſſe, 1. quod hæc peccata ex intentione agentis gravitatem ſumunt: & 2. quod per ea lædatur alterius exiſtimatio; quam cùm quis tueri & poſſit & aliquatenus debeat, facilè apparere quatenus in legem naturalem impingant, qui alterius aut dignitatem minuunt, aut bonam famam commaculant.

XIV. Omnes rationis capaces de injuriâ illatâ teneri, non autem infantes, amentes, &c. Eos verò injuriam illatam proſequi poſſe qui ipſi in ſua perſona, vel in ſuis, læſi ſunt.

XV. In ſola ſatisfactione ſitam eſſe injuriarum obligationem, & accipientem ſatisfactionem, injuriam remiſiſſe. Satisfactionem duabus partibus conſtare, Confeſſione nimirum & deprecatione, & damni illati reparatione. Damni ſolutionem ex læſi ferè æſtimatione pendere, ſed cum homines in propriæ injuriæ cenſu inæquiores judices eſſe ſoleant, ad boni viri arbitrium rem deducendam eſſe.

XVI. Eſſe & alios modos, quibus injuria tollitur, quos inter primum locum obtinet Remiſſio, quam Sacræ literæ & viri ſapientes multis nominibus, viro bono ſuadent.

XVII. Ad remiſſionem introducendam de jure naturæ ſufficere ea ſigna quæ animi non exulcerati vel deliniti ſunt ſigna, quæ leges civiles ulterius produxerunt, ut 1. Si injuriam paſſus eam ſtatim ad animum non revocaverit. 2. ſi annum elabi paſſus ſit antequam de eâ querelam inſtituat, 3. ſi mors alterutrius intervenerit. 4. ſi aliqui amicitiæ actus interceſſerint; Revera tamen anni lapſum, & mortem, non eſſe modos tollendi obli-

obligationem, ſemel introductam.

XVIII. Pro idoneâ ſatisfactione leges civiles habere, ſi injurians in initio litis proteſtetur ſe injuriandi animum non habuiſſe; vel ſi injuriatus alias retorſerit injurias, atq; ità ipſe ſe tali modo vindicaverit.

CAPUT XV.

De Promiſſionibus & Pactis.

I. TErtium juris præceptum hoc eſſe, ut unicuique ſuum tribuatur, hócque locum habere tam inter vivos, quam causâ mortis. Et priorem quidem partem totam contractuum materiam complecti.

II. Ad promiſſionum naturam percipiendam ſpectare, dictum à promiſſo diſcerni debere, quod dictum ſit, quod nudo ſermone finitur; promiſſio verò quando quis ſe aliquid daturum vel facturum affirmat aut negat; Et promiſſionem vel nudam eſſe quæ & pollicitatio, vel cum ſponſione, quæ pactum dicitur.

III. Ad pactorum naturam requiri conſenſum, & præſentiam, in eoque etiam conſiſtere differentiam inter pacta & pollicitationes, cum pactum ſit duorum conſenſus atq; conventio; pollicitatio verò offerentis ſolius promiſſum.

IV. Pacta naturaliter obligare, cum nihil magis bonæ fidei congruat, quam id præſtari quod inter contrahentes pactum eſt. Fidem dici, quia fiat quod dictum eſt. Fidem verò frangere perfidioſum & nefarium eſſe.

V. Pacta dividi 1. in publica & privata. 2. Privata rurſum eſſe, aut non eſſe, legitima; legitima dici quæ lege aliqua confirmantur, quæ verò legum præſidio vallata non ſunt pacta nuda vocari, & de jure Rom. actionem non parere, ſed de jure Canonico.

nico. 3. Pacta alia expressa, alia tacita. 4. Alia item esse realia, alia personalia. Utrum autem in rem an in personam pactum factum sit, non minus ex verbis, quam ex mente contrahentium æstimandum esse. 5. Pacta quædam esse obligatoria, quædam liberatoria; variósque esse tollendarum obligationum modos, ut acceptilatio, novatio, &c. 6. Pacta denique esse judicialia, alia extrajudicialia.

VI. Paciſci omnes posse, qui consentire, ut 1. Filii familias, 2. Servi, sed naturaliter tantum, nam ex contractibus civiliter non obligari. 3. Cum omnibus pacisci nos posse, cum quibus jus gentium nobis commune est, quales sunt, peregrini, hostes, latrones, &c.

VII. Quosdam naturâ, quosdam lege prohiberi paciſci, idque ob defectum vel potestatis vel voluntatis. Ob defectum potestatis, ut qui pacta ineunt contra 1. jussa Dei, 2. jus naturæ, 3. mandata magistratus, & 4. tenorem legum civilium, quod inferior contra superioris voluntatem nihil potest efficere; quæ singula probantur.

VIII. Ex defectu voluntatis paciſci naturâ vetari 1. furiosos, 2. infantes, 3. errantes, 4. dolo vel metu inductos: lege verò civili etiam, 5. impuberes, & 6. prodigos; quod his omnibus voluntas sibi constare non creditur, quibus talia adsunt impedimenta; quæ singula probantur, pubertatis anni definiuntur, & quando errantes obligentur vel ab obligatione liberi sint ostenditur.

IX. Omnia quæ in commercio sunt, & naturali vel civili lege in pactum deduci non prohibentur, præsentia, absentia vel etiam futura, modo ea nostra sint aut esse possint potestate, pactis materiam præbere. Impos-

sibilium verò nullam esse obligationem.
X. Ad pactorum formam imprimis pertinere, ut promissa ab altero acceptentur, quia absque eo non sunt obligatoria, & revocari possunt.
XI. Talem personarum aut rerum immutationem incidere posse, ut si ea, tempore pacti initi, fuisset, promissor se obligaturus non fuisset, & tunc intercidere obligationem; minorem verò mutationem, obligationem non tollere.
XII. Pacta obscura, contra profitentem esse exponenda, utpote in cujus fuit potestate legem apertius conscribere. Pacta etiam esse stricti juris, atque adeò nihil actum intelligi, nisi quod disertis verbis comprehensum est.
XIII. Pacta 1. Obligare conscientias. 2. Impedire repetitionem. 3. Parere exceptionem. 4. Apta nata esse, quoad jus ipsum naturale, eos effectus producere, qui respondent actionibus fori Romani.

CAPUT XVI.

De Contractibus in genere, & in specie de innominatis & quasi contractibus.

I. COntractum esse pactum seu conventionem, in quâ subest causa, quæ obligationem & actionem parit. Labeonem vocare contractum, ultro citróque obligationem, quod Græci συνάλλαγμα vocant; Hoc illud esse quod Jurisconsulti negotium, vel civile negotium vocant.
II. Omnium contractuum originem, ex jure gentium descendere, & revera ex unius indigentiâ, alterius verò copiâ, contractus natos esse, quorum antiquissimus permutatio, pecuniâ verò inventâ, emptio & venditio.
III. Omnes juris gentium contractus, dividi, non naturaliter quidem, sed de jure civili, in contractus

ctus qui consistunt in solo consensu qui promissione constat, atque ita solâ conventione perficiuntur, sic tamen ut subsit causa in futurum adimplenda, & nominatos vocari, ut sunt emptio, venditio, conductio, mandatum: & in contractus qui ab ipsâ rerum traditione principium sumunt, & ulterius implementum ab alterâ parte expectant, innominatos quæ dici, quod naturâ rerum ità conditum est, ut plura sint negotia quam vocabula, constare autem his quatuor speciebus 1. do ut des, 2. do ut facias, 3. facio ut des, 4. facio ut facias.

IV. Contractum innominatum, do ut des, ad emptionem & venditionem proximè accedere, permutationem autem revera esse aut sub se complecti; latè patere & ad collybum seu cambium se extendere cum pecuniâ pro pecuniâ datur; & ad usum rei, cum pro eo alia res, vel alterius rei usus, vel pecunia datur.

V. Contractum, do ut facias, ad locationem accedere, si tale sit factum quod locari solet; si res, non futuram locationem, sed civilem actionem nascituram; si tale sit factum quod locari non possit condici ei posse, vel præscriptis verbis agi. Latè etiam hunc contractum se extendere, & sub verbo dandi, usum rei, & dationem pecuniæ venire.

VI. Contractum, facio ut des, ex prioribus abundè innotescere, sed in producendâ actionis specie ab aliis differre, nam si faciam ut des, & postquam feci cessas dare, nulla erit civilis actio, & ideo de dolo dabitur.

VII. Contractum, facio ut facias, latissimè se extendere, cum utrinque vox facio se offerat; huc spectare contractus qui inter dominum & vasallum inveniuntur; in certis etiam casibus ad mandati naturam accedere.

Quam verò actionem pariat olim apud veteres disputatum fuisse, Juliano tenente, in factum actionem à Prætore dandam; Martiano verò civilem incerti actionem, id est præscriptis verbis, sufficere.

VIII. Inter nominatos & innominatos contractus, hanc præcipuam, de jure civili, esse differentiam, quod in nominatis non detur pœnitentiæ locus, in innominatis liceat pœnitere ei qui dedit aut fecit, imo etiamsi res jam aliquo modo integra esse desierit, ita tamen, ut impensarum factarum ratio habeatur.

IX. Esse & aliam divisionem, ex ipsa contractuum naturâ desumptam, quod alii sint bonæ fidei, alii stricti juris. Bonam fidem, malæ fidei ac dolo hîc non opponi, qui in omni contractu abesse debent; sed eo sensu, quo plus & minus inter se opponuntur, nimirum ut aliqui contractus, ratione bonæ fidei, magis exuberent quam alii, & in quibus major & latior potestas judici sit (solere enim à Prætore in formulâ addi, ex fide bonâ) quam in iis qui sunt stricti juris, in quibus stricte omnia capiuntur: & diversos esse in iis judiciis effectus, qui judiciis stricti juris non conveniunt, nimirum bonæ fidei judicia non recipere interpretationem quæ contra bonos mores desideretur, nec aliquas pati conditiones, quæ moris & consuetudinis sint, in his judiciis venire. Fructus etiam in his judiciis; bonæ fidei ratione, præstari.

X. Nec omittendam esse divisionem, quâ dividuntur contractus, pro contrahendi modo, in contractus 1. aut re, 2. aut verbis, 3. aut literis, 4. aut consensu factos, de quibus in sequentibus.

XI. Esse & quasi contractus in quibus nec consensus, nec præsentia utriusque requiritur, quibusque quis non ex proprio suo facto obligatur, imo

imo etiam aliquando ignorans, absens, atque adeò invitus condemnatur. Sex eorum species enumerari, 1. Negotiorum gestionem, 2. Tutelæ administrationem, 3. Communionem rerum, 4. Communionem hæreditatis, 5. Debitam legatorum præstationem, 6. Et indebiti solutionem.

XII. Hos quasi-contractus à naturali jure non produci, cum quia consensum pro fundamento non habent, sed varias juris civilis fictiones; tum quia tota eorum virtus versatur in actionibus quas pariunt, actione nimirum negotiorum gestorum, tutelæ, &c. omnes autem actiones sint juris civilis. Esse itaque hos quasi-contractus, utilitatis causâ, à jure civili introductos, non tamen refragante, sed concedente, imo & suadente naturâ, quod per singulas species demonstratur.

CAPUT XVII.

De contractibus qui re perficiuntur.

I. COntractus qui re perficiuntur esse quatuor, 1. Mutuum, 2. Commodatum, 3. Depositum, & 4. Pignus. Et indè dici, quod præter consensum necesse sit ut etiam res ipsa intercedat, antequam ex his contractibus obligatio, aut actio oriatur, quod in Mutuo exempli gratia demonstratur.

II. Necessitatem & Originem horum contractuum facillimè comprehendi, si ponamus aliquem re certâ indigere, neque reperire qui eam sibi donare, permutare, aut vendere velit, eum certè cogitaturum de re illa sibi acquirenda sub promisso restitutionis, vel tantundem vel ejusdem; Et si videat sibi non satis credi, cautionem personalem vel realem daturum,

rum; Et si velit rem suam pro tempore servandam dare eam recepturus ubi voluerit, eum electurum cujus fidei eam commendet.

III. Mutui contractum celebrari datione vera vel ficta rei consistentis in pondere, numero, vel mensura, cum spe tantundem in genere suo ejusdem bonitatis & qualitatis recipiendi. Jurisconsultos statuere indè mutuum appellari, quod de meo tuum, Varronem à voce Sicula μοῖτον derivare, propius ad Juris consultos accedere qui dicunt ex duabus Græcis μὴ τὸν conflari. Mutui definitio latius explicatur.

IV. An jure naturæ, ex datione pecuniæ cum onere restitutionis, liceat aliquid lucrari, & quid de jure civili? Lucrum esse duplex, unum quod rationem habet ejus quod interest; alterum quod eam rationem excedit. Prius, quod ab aliis usura vocatur juri naturali non repugnare, & de jure civili non tantum permitti, sed & alterum, quod fœnoris nomine venit, ut in fœnore nautico videre est.

V. De lata, levi, & levissima culpa, quas in quibusdam contractibus contrahentes præstare debent. In mutuo has omnes culparum species non tantùm locum habere, verùm etiam ipsum casum fortuitum, & hoc mirum nemini videri debere, cum mutuarius fiat dominus pecuniæ, & res domino suo pereat.

VI. Commodatum esse alicujus rei in certum usum gratuitam concessionem, ut eadem species nobis reddatur. Licere quidem aliquid petere pro usu rei nostræ, sed talem conventionem tum transituram in aliud genus contractus. Commodatum à Precario distingui, quod sit in certum usum & ad certum tempus, precarium non item. Eandem speciem nobis reddi debere, dominiúmque ac possessionem rei commodatæ apud commodantem manere, &

his

his duabus præcipuè notis à mutuo distingui. Non consistere commodatum in rebus quæ usu consumuntur.

VII. Commodatarium teneri dolum, latam, levem & levissimam culpam præstare, cum commodatum plerumque solam ejus commoditatem respiciat, cui commodatum est, non vero casum fortuitum, nisi, 1. acciderit culpa sua, 2. vel intervenerit pactum, 3. vel in mora fuerit.

VIII. Depositum esse contractum, quo res mobilis alicui gratuitò custodienda, datur, ut ea ipsa postea restituatur. Tria igitur ad depositi essentiam requiri, 1. ut custodiæ causa res tradatur, 2. ut gratuitò custodiatur, 3. & ut eadem restituatur.

IX. Depositum, voce generaliter accepta, tres fere habere species, Primam esse, quando debitor, creditore recusante pecuniam oblatam accipere, eam in locum publicum deponit. Alteram esse, quando res litigiosa alicui servanda traditur & sequestrum appellari. Tertiam esse Depositum simplex, de quo hic proprie, & hoc esse duorum generum; unum quod mere voluntarium est, cùm amicus apud amicum rem custodiendam deponit. Alterum cum tumultus, incendii, &c. causa id fit, & in hoc casu perfidiæ crimen crescere cum depositum non redditur.

X. Depositarium solius doli, non vero culpæ teneri, quia qui negligenti amico rem custodiendam tradit, non ei, sed facilitati suæ id imputare debet, nisi depositarius se depositio obtulerit, aut pro custodia aliquid acceperit, tum enim culpam & custodiam præstare debere. Tria in hoc contractu notatu digna occurrere, 1. in depositio compensationem cessare, 2. non posse opponi exceptionem dominii, 3. Prædoni etiam & latroni spolia depositia reddenda esse.

XI. Pignus esse obligationem rei mobilis pro debito factam ad securitatem creditoris. In re mobili tantum consistere & à pugno appellatum, quia res quæ pignori dantur, manu traduntur. De re verò immobili hypothecæ vocem propriè usurpari, quæ sine traditione, nudâ conventione tenetur.

XII. Pignus vel tacitè vel expresse contrahi. Tacitum pignus quod & legale vocari solet, esse in bonis administratoris Ecclesiæ, Tutorum, viri pro dote uxoris, &c. Expressum, aut à persona publica, aut à privata constitui. Personam publicam sive Magistratum introducere pignus Prætorium vel Judiciale, illud locum habere cùm ante sententiam, hoc cùm post sententiam aliquis à Prætore in possessionem bonorum mittitur. Pignus quod privati constituunt, & de quo hic proprie, conventionale etiam vocari.

XIII. Ea omnia pignori obligari posse, quæ quidem in bonis nostris & nostro Dominio sunt, præsentia, futura, &c. Pignori verò dari non posse, quæ non sunt in commercio, ut res sacræ, pupillares, litigiosæ, liberi homines, instrumenta rustica, &c. denique & res prorsus alienæ nisi cum consensu domini.

XIV. Creditorem in pignore tantùm teneri de dolo, latâ & levi culpâ, quia hic contractus debitoris & creditoris gratiâ celebratur; non verò teneri levissimam culpam & casum fortuitum præstare: quia nimirum periculum pignoris regulariter ad debitorem non verò ad creditorem pertinet, nisi creditor periculum in se receperit, vel ejus culpa præcesserit, aut ipse in morâ fuerit.

CAPUT XVIII.

De Verborum Obligationibus.

I. VErborum obligationem, Stipulationem

tionem dici à voce Stipulum, quod firmum denotat; Stipulationi soli à Romanis Jurisconsultis, actionem esse concessam, reliquis verò pactis, negatam. Definiri conventionem verbalem, quâ aliquid interrogatur, & congruè respondetur.

II. A jure naturæ Stipulationem descendere, sed à civili formam propriam & efficaciam nanciscì, ideóque à nonnullis magis juris civilis esse existimari. Efficaciæ hujus rationem esse, quod in stipulatione deliberatè magis, quam in aliis pactis procedatur. Non frustra introductam esse stipulationum validitatem, cum eam utilitas suaserit, & commendaverit necessitas.

III. Omnes & de omnibus stipulari posse, qui & paciscì, & de quibus licet paciscì; Mutos tamen, surdos, & absentes ad hunc contractum non admitti, quod inter præsentes, & verbis conceptis solum, celebretur.

IV. Formam stipulationis in multis solemnitatibus olim constitisse, nunc requiri tantùm, ut præcedat interrogatio, & sequatur responsio conformis interrogationi, & in continenti, aut certè post modicum intervallum. Consensum, ex natura pacti, hic necessario requiri. Et tot esse stipulationes; quot sunt res vel summæ, quæ in contractum deducuntur.

V. Stipulationum divisiones esse quam plurimas. Stipulationes 1. fieri aut singulis aut à pluribus 2. alias in dando, alias in faciendo, aut non faciendo consistere. alias 3. esse certas, alias incertas. 4. alias esse dividuas, alias individuas. 5. alias esse puras, alias non puras, hoc est, vel in diem, vel cum conditione; & conditionem esse vel potestativam, vel casualem vel mistam; eamque vel affirmative vel negativè concipi. 6. denique alias esse conventionales, hoc est, meræ conventione constare, alias

alias neceſſitate juriſdictionis conſtitui, eaſque eſſe vel judiciales, vel Prætorias, vel communes utrique judici nimirum & Prætori.

VI. Stipulationis effectum eſſe, ut obligationem pariat, & ex obligatione ſtricti juris actiones, condictionem nimirum certi, & actionem ex ſtipulatu, producat. Jus Civile hac in parte a naturali recedere, quo omnia pacta nuda ſunt æqualia & ejuſdem efficaciæ, cum civile ſtipulationi producendæ actionis vim tribuat, reliquis vero pactis, exceptionem ſolam relinquat.

VII. Condictione certi nos conſequi quod certum eſt: actione ex ſtipulatu, id quod in ſubſtantia, quantitate, & qualitate, incertum eſt.

VIII. Fructus in ſtipulationem non venire, niſi poſt litem conteſtatam, uſuras vero nunquam, niſi in ſtipulationem ſint deductæ. Dolum & latam culpam, in hoc contractu præſtare debere, non levem, quæ fere in omittendo conſiſtit.

IX. Quatenus cum jure naturali convenit, notiſſima juris Romani regula, alteri ſtipulari non licere.

CAPUT XIX.

De Literarum obligationibus.

I. LIterarum vocem latiore hic ſenſu ſumi, quam ea uſurpatur in Inſtitutionibus in titulo hujus nominis, cum Imperator ibi loquatur ſolum de obligatione quæ nominibus fit; quæ jam non eſt in uſu, & de eo ſolo qui debere ſe ſcripſerit quod numeratum non eſt, hic vero de Literis in genere agatur, quæ numerationem non excludunt, atque ità ex pacto, per ſcripturam declarato, obligationem inducunt.

II. Literarum obligationem eſſe generalem & com-

comprehendere quaslibet literas obligatorias tam publicas, quas inſtrumenta vocant, quam privatas. Inſtrumenta publica dici ſcripta, quæ autoritate & manu publica, debitè conficiuntur; eorum aliqua ſigillis eſſe ſignata, aliqua non; alia rurſum debitum ſimpliciter, & de hodierno die actionem paratam non habere, alia verò confeſſione quaſi publica muniri, & guarentigiata eſſe. Habereque actionem paratam: Guarantigiam autem dici præceptum factum à Notario partibus, ut obſervent contenta in inſtrumento.

III. Privatam ſcripturam dici, quæ à perſona privata conficitur, eamque fere triplicem eſſe, Chirographum (ſub quo & literæ Cambii comprehenduntur) Epiſtolam, & Librum rationum.

IV. Obligationem naturalem ex hiſce ſcripturis omnibus naſci; & ex obligatione naturalem, imo, jure apud Batavos recepto, magis quam Romanum pactis favente, etiam civilem actionem, condictioni ex mutuo, & ex ſtipulatione reſpondentem, oriri: ita ut Chirographum pariat condemnationem contentæ in eo pecuniæ, & ſi ab eo, qui id ſcripſit, in judicio recognoſcatur, proviſionalem moretur ſententiam, ſtatim executioni mandandam: idem de literis Cambii eſſe dicendum; item & de Epiſtolis, niſi quod ex Epiſtola proviſionalis ſententia non itidem obtineri poſſit. Paulo aliter ſe rem habere in Libro rationum, ejus vim conſiſtere in tacito pacto quod inter venditorem & emptorem, quando parata non datur pecunia, intervenire creditur; ita ut accedente jurata venditoris aſſertione, quâ codicem ſuum firmat, aut definitiva, aut etiam proviſionalis ſententia ſequi ſoleat.

V. Chirographo, aut alia privata ſcriptura, mentionem quidem numerationis pecuniæ faciente, de

debitore vero eam interveniſſe negante, naturalem obligationem non ſubeſſe, ob conſenſus defectum: Civilem igitur actionem, exſcriptam reſtantem, per exceptionem non numeratæ pecuniæ, quæ & ipſa civilis eſt, elidi poſſe, ità debitore tamen onus probandi, non numeratam fuiſſe pecuniam, in ſe recipiente.

CAPUT XX.

De contractibus qui Conſenſu perficiuntur.

I. OMnes conventiones conſenſum quidem contrahentium, requirere, quoſdam tamen Conſenſu perfici, dici, quod conſenſu ſolo perficiantur, alii vero ad contractus perfectionem amplius requirat, ut res, aut verba, aut literæ concurrant.

II. Hos contractus naturales magis eſſe quam cæteri, quod pro fundamento unicum conſenſum habeant; & pleniorem idcirco obligationem parere, hoc eſt, non ſtricti juris, ſed ex æquo & bono.

III. Conſenſu ſolo perfici dici, non quod verbis, aut literis hic uti non liceat, ſed quod nec verba, nec literæ obligationem hic pariant. Conſenſum tamen certis ac propriis indiciis declarari debere, ut de contrahentium voluntate conſtare poſſit: & conſenſus judicia eſſe. 1. nutum, 2. verba & ſcripta, 3. res & facta. 4. imo & aliquando ſilentium, cum nimirum tacet qui loqui debuerit.

IV. Omnes hoſce contractus eſſe nominatos, & quoſdam jure gentium, quoſdam jure civili obligationem & actionem parere. Prioris generis eſſe. 1. Emptionem-venditionem. 2. Locationem-conductionem. 3. Societatem. 4. Mandatum.

Poſte-

Posterioris. 1. Constitutum. 2. Contractum Emphyteuticum, 3. Donationem in præsentia.

V. Horum nobilissimam speciem esse Emptionem-venditionem. Rerum permutationem, post divisionem soli factam, ex mutua indigentia primum esse ortam, sed cum pretii æqualitas vix tum posset inveniri, nummi usum tandem repertum, & emptionem introductam esse.

VI. Hunc contractum Emptionem-venditionem appellari, quod duobus factis seu partibus constet, emptione scilicet & venditione, quæ juncta, unum contractum constituunt, ac Veteres idcirco promiscuè hisce vocibus fuisse usos, non ut actus confunderent, sed ut utrumque actum seu contractum totum indicarent.

VII. Emptione-venditione id agi, ut pro certa pecunia uni danda, alter rem accipiat. 1. Pecuniæ mentionem in definitione quidem fieri, id non ut autor judicium suum interponat in celebri quæstione, an pretium alia etiam in re consistere, & permutatione rerum Emptio-venditio contrahi possit; sed Imperatorem solum sequi, 2. Consensum hic circa duo versari, rem nimirum emptori tradendam, & pretium venditori solvendum. 3. statim atque de re & pretio convenit emptionem perfectam intelligi, at re tradita, & pretio soluto demum impleri. 4. Emptione perfecta, actionem rectam exempto & vendito utrinque nasci, & emptorem teneri ut pretium solvat, venditorem ut rem venditam præcisè tradat, si tradendi potestatem habeat, aut interesse omnino præstet si non habeat. 5. Venditorem teneri rei dominium in emptorem transferre, si rei venditæ dominium ad ipsum pertineat, alias sufficere ut vacuam rei possessionem tradat, ut emptori eam habere liceat.

VIII. Posse

VIII. Posse tamen hunc contractum sub certâ conditione celebrari, ut perfectum dici nequeat, antequam conditio impleta fuerit: imo & aliam, ex contrahentium voluntate, naturam adsciscere, ut nimirum necesse sit scripturam intervenire.

IX. Omne periculum & commodum rei venditæ, sed nondum traditæ, quod sine facto venditoris contingit, emptorem sequi; hoc tamen particulari etiam contrahentium conventione immutari posse.

X. Posse omnes emere & vendere, qui pacisci; omniumque rerum quas quis habere, possidere, vel persequi potest, venditionem rectè fieri, non autem earum, quas natura, vel gentium jus, vel mores civitatis, commercio exemerunt.

XI. Locatione conductione id agi, ut pro usu alicujus rei, aut opera personæ, certa merces præstetur. Ab unius indigentia, alterius verè copiâ contractum hunc etiam, originem suam traxisse. Esséque locationis conductionis duas species, rerum utendarum unam, factorum seu operarum præstandarum alteram. In prima specie locatorem semper esse & dici, qui rem utendam dat & mercedem accipit, conductorem qui utendam accipit, & mercedem præstat: in secunda specie promiscuè Veteres fuisse usos, & apud Gallos remansisse, ut locare, locatarius, & locagiam, utrumque actum, personam utramque, & mercedem tam datam quam acceptam, denotent.

XII. Emptioni proximum esse hunc contractum, differre tamen quod in emptione id agatur ut rerum dominium in emptorem conferatur, in locatione autem, ut earum usus duntaxat conductori concedatur; & per consequens quod emptio titulus perpetuus esse soleat, locatio temporalis. At in pluribus inter se con-

convenire, ac 1. mercedem in locatione, uti pretium in emptione, in numeratâ pecuniâ, ex Imperatoris mente, consistere debere. 2. Consensum etiam circa duo versari, rem utendam vel opus faciendum ab unâ parte, & mercedem ab alterâ. 3. Statim atque etiam, ut in emptione, inter locatorem & conductorem convenerit, locationem perfectam, sed nondum consummatam intelligi. 4. Locatione perfectâ, obligationem mutuam, & actionem directam, ut in emptione, utrinque nasci, nisi municipales constitutiones, ut in Hollandia, instrumentum insuper requirant. 5. Incumbere conductori, ut venditori in emptione, ut præstet quod æquum & bonum est, item dolum & culpam; non levissimam, sed levem & mediocrem. 6. Conductore mortuo, hæredem in conductione succedere in primâ specie, non autem in secunda.

XIII. Hujus contractus materiam esse, primò, res omnes quæ in commercio sunt, tam mobiles, quam soli, non proprias modo, sed & aliquas, ea tamen lege, ut conductori ignoranti, locator obligetur in id quod interest, si usum rei locatæ ei præstare nequeat, deinde facta, non quidem omnia, sed quæ mercede æstimari possunt ac solent, remunerationes autem & honoraria in hunc censum non venire.

XIV. Societatem esse, cum inter aliquos res aut operæ communicantur, lucri honesti, in commune faciendi, gratiâ. Homines ad societates descendisse, ut quod ex solitariis opibus, ac privata industria, lucrum sperare non poterant, ex junctis facultatibus & operis consequerentur. Honestas & legitimas societates hic tantum intelligi, non quæ in publica commoda peccant, ut monopolarum, multo minus quæ humanæ societati bellum apertum indicunt, ut præ-

prædonum & piratarum.

XV. Ad societatum naturam percipiendam, sequentia axiomata maxime esse observanda. 1. Societatem duos requirere, plures verò recipere. 2. Requiri ut utrinque à contrahentibus aliquid in communes conferatur. 3. Collationem illam voluntariam, & ex intentione, non verò fortuitam, esse debere. 4. Omnia quæ juris nostri sunt, sive pecuniæ sive operæ, contractus hujus materiam esse. 5. Societatis species plures esse posse, ex: gratia vel unius partis, omnium bonorum, vel sortis & lucri, vel lucri tantùm; vel plurium rerum, vel unius tantùm. 6. Societatis finem esse communem lucrum, & bonorum communionem absque tali intentione, societatem non esse dicendam. 7. Societatem contractam intelligi, statim atque de communione inter aliquos convenit. 8. Societate contracta, socios reciprocè teneri actione pro socio, ut lucrum ex æquo ac bono inter se dividant, & dolum ac culpam, levem scilicet, & mediocrem, invicem præstent.

XVI. Socios, 1. Si nihil nominatim inter ipsos pactum fuerit, æqualis lucri & damni partes ferre debere: æqualitatem autem, non arithmeticam pro numero sociorum, sed geometricam & rebus collatis analogam, intelligi. 2. Si quid hac de re fuerit conventum, pactis standum esse, magna quamvis inæqualitas appareat, quod opera atq; industria ea compensari possit; naturam tamen à leonina societate abhorrere, quæ sociorum uni lucrum omne addicit, cæteris damnum solum relinquit. 3. Quod si de lucro solo, vel de damno solo conventum fuerit, eandem proportionem in parte prætermissa ac in expressa esse observandam, modo cætera paria sunt.

XVII. Societatem solvi 1. non modo, re adhuc integrâ,

tegrâ, & omnium voluntate, aut cum finis negotio impositus est, sed etiam 2. unius socii renunciatione, altero etiam invito, imo quamvis convenerit ut societas perpetuò duraret; ea tamen lege si injuriâ caruerit, insidiosas tamen renunciationes hactenus ex jure civili valere, ut liberent socios à renunciante, sed non renunciantem à sociis, idque naturali æquitati non repugnare. 3. Morte etiam unius solvi, etsi plurium fuerit, quod qui societatem contrahat, certam personam eligat, eaque defunctâ, opes quidem, sed fidem & industriam ad hæredes non transire. 4. Nec morte naturali tantùm, sed civili etiam hunc contractum extingui, capitis nimirum diminutione, & bonorum publicatione. 5. Amissione bonorum omnium, nisi propter operam aut industriam solam in societatem quis receptus fuerit, & bonis amissis, speratam operam præstare possit.

XVIII. Mandatum definiri, contractum quo aliquid licitum & honestum gratuitò gerendum committitur & suscipitur. Conventionem hanc ex mandantis indigentia & suscipientis humanitate originem suam traxisse.

XIX. 1. Objectum hujus contractus esse res tantum licitas, turpium & illicitarum nullum mandatum, nullámque obligationem esse. Verum quidem esse in flagitiosis, & qui mandavit, & qui exsecutus est, utrumque ex delicto obligari, nullam tamen ex ejusmodi contractu inter eos obligationem oriri. 2. Mandati vocem, unius quidem factum designare, hic tamen pro toto contractu, & duorum facto accipi. 3. Mandato dato & accepto, obligationem statim ex consensu nasci, & ex obligatione actionem, mandanti quidem directam mandati, mandatario verò contrariam

sive utilem. 4. Posse mandatum inter absentes per epistolam vel pernuncium celebrari; nec referre quibus verbis mandans utatur, modo mandatum esse intelligatur. Commendalitia verba & scripta mandatum non haberi, nec obligationem inducere. 5. Mandatum tacitè etiam contrahi posse. 6. Ad mandati naturam pertinere ut sit gratuitum; idcirco placere mandatum non dici negotium, quod ejusmodi homini committitur, qui ex negotiis gerendis mercedem aut salarium percipere solet, nisi id se gratis suscipere significet: mandatum tamen esse non desinere, etsi remunerandi causâ honor postea interveniat. 7. Mandatum contrahi, vel mandantis tantùm gratiâ, vel mandantis & mandatarii, vel aliena tantùm, vel mandantis & aliena, vel mandatarii & aliena, vel mandantis, mandatarii & aliena. Mandatum mandatarii solius gratia, consilium magis quam mandatum esse, & idcirco obligationem nullam parere, modo dolus abfuerit.

XX. Jus naturale exigere, ut mandans mandatarium per omnia immunem præstet, sed eâ lege, ut mandatarius ad præscriptum agat, & caveat nè mandati fines egrediatur, aut aliud faciat quam in mandatis habet; In mandati finibus constitisse videri, qui fecit æquipollens. De eo qui pluris vel minoris emit aut vendidit quam ipsi injunctum fuerat, & in ejusmodi casibus multum referre causa mandantis melior fiat, an deterior.

XXI. Solvi hanc conventionem. 1. Mandantis revocatione, re adhuc integrâ, vel postquam integra esse desiit, modo mandatarium ob antegestum immunem præstet. 2. Mandatarii renunciatione, sed tempestivâ, alias teneri, non ut mandatum præcisè impleat, sed ut præstet quod

quod mandantis interest impletum esse. 2. Morte etiam tam mandantis quam mandatarii, mandatum extingui, nisi ejusmodi mandatum sit quod post mortem mandantis implendum sit, imo non nisi post mortem ejus impleri queat. Id intelligi, si re adhuc integra mors intervenerit, at postquam alterutrius interiisse coeperit, natam ante obitum actionem perseverare; justum etiam & probabilem mandatarii ignorantiam, tam juris quam facti, ipsi nocere non debere.

XXII. Constitutum esse conventionem, quâ quis spondet se debitum soluturum. Constitutum igitur 1. semper debitum præsupponere, qualecunque sit, dummodo utiliter peti possit. 2. Constitui aliud posse quam quod debetur, modo constitutum debiti valorem non excedat. 3. Constitui non posse quod non debetur, & si per errorem constitutum sit, constituentem in id tantum teneri quod debetur. 4. Citeriore die, & alio loco quam quo debetur constitui posse, & sub conditione quod purè debetur. 5. Quemque pro se & pro alio constituere posse, nec referre an creditori ipsi an alii constituat quod debetur. 6. Constitutum esse nudam sponsionem mediæ naturæ inter pollicitationem & stipulationem. 7. Sponsione facta & acceptata obligationem ex consensu nasci, & actionem ei cui constitutum est in constituentem, non civilem, sed prætoriam, & hac lege, si appareat eum qui constituit, neque solvere, neque fecisse, neque per actorem stetisse, quo minus fieret quod constitutum est, alias enim actorem, non debitum quidem, nec etiam debiti actionem, sed actionem ex constituto, quam ei Prætoris benignitas indulserat, amittere. 8. Constitutum priorem actionem non in-

novare, ſed ei accedere, cúmque, pro quo alius conſtituit, adhuc obligatum manere, háncque conſtituti ſpeciem multa cum fidejuſſione communia habere, quamvis in multis, ex jure civili Romanorum, à ſe invicem diſcrepent.

XXIII. Emphyteuticum contractum, ab agrorum incultorum inſitione nomen accepiſſe, qui quod colonum non reperirent, certa penſione in ſingulos annos conſtituta, ea lege locari cœperunt, ut quamdiu penſio ſalvetur, neque ipſi colono, neque ejus ſucceſſoribus ea unquam auferri poſſunt. Ad hunc contractum intelligendum, inſervire 1. explicationem vocum quibus juris periti in hac materia utuntur, ut conductorem, agros, eorum culturam, jus & penſionem denotent. 2. Hunc contractum ad cultiſſimos poſtmodum agros, imo & ædes, fuiſſe tranſlatum. 3. Hac conventione poteſtatem in emphyteutam transferri, rem ſibi traditam alienandi, ſed ea lege, ut ſi eam donare aut permutare velit, id domino ſignificet, ut laudimio à novo emphyteuta accepto eum in poſſeſſionem admittat; aut ſi vendere velit, emendi prærogativam domino prius offerat, cui in tali caſu, retractus jus multis in locis, tantum competit. 4. Triennii mora, in penſione ſolvenda, emphyteuten jure ſuo perpetuario cadere, niſi dominus, penſionis elapſæ receptione, caducitati tacite renunciaverit; æquitatem tamen poſtulare, ut celeri ſatisfactione, mora purgari poſſit. 5. Emphyteuſi conſenſu perfecta actionem emphyteutæ in perſonam naſci, ſed rei traditione conſummata, utilem ei actionem in rem dari; domino vero directam etiam in rem, propter rei caducitatem. 6. Potuiſſe hanc conventionem ad emptionem, vel locationem referri, & contractibus juris gentium adnu-

adnumerari, nisi Zenoni placuisset propriam esse contractus speciem. 7. Antiquissima hujus conventionis exempla apud Sacros, profanósque autores passim occurrere. 8. Videri hunc contractum venditionem esse, cùm emphyteutæ perpetuum veluti dominium in rem acquiratur, videri rursus locationem, quod conductor annuam pensionem domino solvere teneatur. 9. Discrimen tamen in eo esse, quod cum in venditione, dominium omne in emptorem transferatur, & in locatione nullum, sed nudus rei usus; in emphyteusi medium quid accidat, quod fundi dominus dominium sibi directum retineat, ac transferat in emphyteuten, dominium utile. 10. Contractum hunc propriis suis actionibus fulciri posse, circa caducitatem & periculum; & si nihil cautum fuerit, redire fundum ad dominum, ut supra dictum est, post triennii in pensionis solutione moram; periculum verò quod attinet, rei totius interitum ad dominum, partis verò solius ad emphyteutam pertinere, cujus rei æquitas demonstratur, succurrendum tamen esse emphyteutæ, si pro modo & quantitate fructuum, qui ex agro percipi solent, pensionem solvat. 11. Hæc omnia de emphyteusi, propriè sic vocata, dicta esse, non verò de ammodiatione, sive locatione in quantumvis longum tempus, cum non sit modus transferendi dominii.

XXIV. 1. Donationem esse vel propriam, solius liberalitatis exercendæ gratia, vel impropriam, sub modo, causa, & conditione. 2. Donationem propriam fieri vel verbis in præsens conceptis, ut Do tibi, vel in futurum, ut Dabo tibi. 3. Donationi proprie & in præsenti soli Imperatorem actionem dedisse, esséque ultimum contractuum, qui consensu ex jure civili celebrantur, quanquam & ad jus gentium referri possit,

possit. 4. Non carere ratione quod huic donationi actio tributa fuerit, alteri non, cum donatio, verbis in præsens conceptis, haberi possit, quasi res jam tradita esset. 5. Contractum hunc celebrari cum donator voluntatem suam, ab una parte, declarat, & donatarius eam gratam ac ratam ab altera, habet. 6. Donatione mutuo consensu sic peracta, conditionem ex lege donatario in donatorem dari, sed re demum traditâ, dominium utile ei in rem acquiri. 7. Donationem hanc inter vivos pro arbitrio donatoris revocari non posse, sed in donatione mortis causâ, donatori pœnitere licere. Hoc tamen cum hac exceptione intelligendum esse, nisi se donatarius insigni ingratitudine, & sceleri affini, collato beneficio indignum effecerit. 8. Leges civiles Romanorum modum donationibus imposuisse, paucis quibusdam exceptis, ut sunt principales, vel quæ in captivorum Redemptionem largiuntur.

XXV. Non esse instituti illius qui hoc ultimum caput adjecit, cætera persequi, præcipuè quæ ad rem Testamentariam pertinent, cum ex generalibus, toto hoc opere sparsim positis fundamentis, ea erui facilè possint. Gratiarum actio ad Luminum Patrem, quod non naturalis æquitatis lampadem, sed justitiæ etiam supernaturalis Solem in cordibus nostris lucere fecerit.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 24. & 36. in marg. pro *duris* lege *juris*.